VICTORIA CORONÆ SPINEÆ CHRISTI,

Auctore

Illuſtriſsimo ac Excellentiſsimo S. R. I. Principe Domino

D. ALBERTO STANISLAO RADZIVILIO

Duce in Ołyká & Nieśwież, M. D. L. Cancellario, &c.

Conſcripta.

VARSAVIÆ,
In Offic: PETRI ELERT S. R. M. Typographi, Anno Dñi 1652.

SERENISSIME ac POTENTISSIME REX.

DVM instinctu interiori de Spineæ Coronæ Christi Victoria, aliqua pauca Typis exponerem, cuinam dedicarem, non diu hæsi animo, palpando enim INVICTISSIME REX, video Te Coronâ duplici simul aureâ &

ſpineâ ornatum; Aureâ, cùm coronatis, Fratri, Patri, Auo, & Proauo in ea ſucceſſeris. Spineâ, cùm vix impoſitâ illâ priori, hoſtium domeſticorum colluuies, & Paganorum multitudo circumdedit Te, ac ſpinis rebellionis opprimere conata fuerat. Succurrit ille, qui primus Spineam Coronã portârat, & quæ aſta-

aſtabat Mater mœſtiſſima eidẽ Coronæ Spineæ, ipſo die Aſſumptionis ſuæ, Teq́; è faucibus aduerſariorum liberauit, Tartarum qui ad feriendũ venerat, ad auertendũ gladium malignorũ Subditorum, à Te, & Regno, coëgit. Iterũ ſpinæ creuerunt perfidorũ, coniunctiſq́; ingentibus, cum barbaris Copijs, Te aggreſ-

gressi, manu Domini altissimi, deffendente Deiparâ (cuius Tu & imaginem & deuotionem in Castris circumtulisti) Victor cũ stupore Orbis euasisti. Quia verò spinæ & intrinsecè & extrinsecé lædunt, Tu non tantùm aculeos hostium expertus es, sed intus etiam ab ingratissimis, loco gratitudinis puncturas innocen-

center ſuſtinuiſti. Verùm vti ſpinæ Chriſti vicerunt peccata, ita Tuæ triumphabunt de rebellibus & ingratis: Conuertet ſupremus Rex qui Coronã Tuo capiti impoſuit, ſpinas in aurum, tribulationes in conſolationes, longitudine Imperij. & memoriâ glorioſæ æternitatis.

S.R.M.T.

D. C.

Alber: Staniſl: Radziwil

APPROBATIO.

Præclaræ Illuſtriſſ: & Excellentiſſ: Dñi D. Alberti Stanislai Ducis Radzivilii S.R.I. Principis, M.D.L. Cancellarij, Pinſceñ, Meueñ, Tucholieñ, Cauneñ Capitanei, &c. Non minùs doctæ quàm piæ lucubrationes (quas inter grauiſſima Reipub: negotia & curas ſęculi ſolitarius in foraminibus petræ & cauernis maceriæ, vulneribus nempe Chriſti, clauis & ſpinis ob enormitatem peccatorum confoſſis, ſcripſit,) multùm probantur. Quas vidi & legi: Dignumq; iudicaui quin prælo detur Opuſculum, cui titulus, VICTORIA CORONÆ SPINEÆ CHRISTI. Dat: Varſauiæ 17 Ian: anno Dñi 1652.

Venceſlaus Waſowicz Archid. Poſ. Canonic. Vicarius in Spiritualibus & Officialis per Ducat. Maſouiæ Generalis S.R.M. Secr. m.p.

AD LECTOREM.

INter bellorum ſpinas ge-
mentem, animaduerten-
do totum fere mundum,
dum Anteſignani Regis æter-
ni Coronam Spineam conſi-
dero, facilè inducor opinio-
ne, Deum ideò nos extra
torqueri illis permittere,
cùm intus nihil de dolori-
bus Chriſti & ſpinis cogite-
mus; Inter fluctus ergo
Martis, recurrere ad Coro-
nam Spineam Saluatoris in-
uito omnes; Certùm ſi pec-
cata recordatione dolorum
Chriſti deleuerimus, ſpinæ
areſcent, quæ cauſa ſunt tot
malorum. Commutemus
er-

ergo actiones nostras cũ Dauide, dicendo: *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Relinquamus Rosas mundi, quæ Alchimiâ cœlesti, in spinas trãsmutantur, arripiamus Spinas Christi, quæ licet intus tempestatem lacrymarũ eliciunt, tamen extra aurea libertate nos induent, & hîc, & in feliciori vita æterna, stratâq; ac rectâ semitâ, sequẽtes Domini Spinas, eæ aberrare nos nõ sinent. Vale mi Lector, & Spinas Regis nostri audacter manibus & intellectu versa; meliùs adhuc, si illis proprias quoq; nõ inuitus coniunges,

IESVS MARIA ANNA.

VICTORIA CORONÆ SPINEÆ CHRISTI.

Procemium.

SI leni susurro dicatur homini de Corona, magnum, præstans quid suspicatur: Christus cùm de passione sua Apostolis prædixisset, hæc verba protulit. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tra-* Matth: cap: 10

dent

dent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendũ, & tertiâ die resurget. Statimque de Matre Zebedæorum Euangelista addidit, pro filijs petendo dextram vel sinistrã regni: Mirantur certi Doctores, cur Christus de Coronatione nihil intulerit; Et datur ratio, si enim de Corona mentionem fecisset, non tantùm illi duo, immò omnes Apostoli & discipuli ad coronam concurrerent, ideò silentium. At in passione Euangelistæ longam describunt præter alia Coronationis Christi cerimoniã. Excogitârat mundus varias coronas, omnes lætas, victoriosas, sumptuosas, triumphum redolentes, ciuicas, ob seruatos ciues, obsidionales, ob captas

òbsi-

obsidione vrbes & arces, nauales, ob naualem victoriam, castrenses, ob castra dispersa, oleagineas ob pacem confectã, triumphales ob triumphum decretũ: Iam & propter coronandos Imperatores, *Ferreas, Argenteas, Aureas*; hoc terræ inuentum. Venit Rex de cœlo, illius dictum: *Ecce noua facio omnia.* Non sine Corona, Apoc. 21. quia Rex, noua erit quia nouus homo, & si muri ex lapidibus pretiosis in cœlo, qualis erit corona? Vt mirus aduentus, & incomprehensibilis Incarnatio, ita & Corona: Spinea illa est! Stupet mens, inuentio non humana, talis imposita Regi cœli; Sed cur? Vulnera (vt traditio affirmat) septuaginta duo capiti inflicta, fortè quia de septuaginta duobus

bus peccatis victoria obtenta; ideò firma, fixa, immobilis permansit. Percurrat mens hæc omnia peccata, ad congratulandũ Coronæ de tanto triumpho. Incipiamus à Paradiso, & reuoluamus mente vitia, quæ Coronâ Spineâ afflixerunt venerabile Christi caput, ignominiosa quidem illa Corona, sed versa in gloriosam, quia Deus coronatus.

CAPVT I.
De Peccato Superbiæ.

ACuleus primus Spineæ Coronæ SVPERBIA, primus dico, tempore, primus eminentiâ, primus exemplo, Dauid nouit hũc aculeum: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*, Volunt ipsum cœlum con-

Psal: 73.

conſcendere ſuperbi, in Lucifero detruſa in infernum Superbia, in Paradiſo ſimiliter aſcendere voluit in primis parentibus, *Eritis ſicut Dij*, detruſa in terram. Ædificârat ſibi turrim etiam, cuius culmen pertingeret vſque ad cœlum, confuſio linguarum confudit Superbiam; Odibilis Deo prorſus ſuperbia, & omnes alias virtutes interimit, vti S. Auguſt. *Vbi ſuperbis, ibi quod acceperas perdis*, Et S. Chryſ. *Nihil ita hominem fatuum reddit ac ſuperbia, ſi enim videres hominem, qui ſibi appareret altior monte, & vſque ad ſidera pertingere, an non eum dementatum diceres?* Ita certè amens ſuperbus eſt, qui ſibi videtur

Ser: 3 de San: & ſer: 2 de verbis Apoſ:

ali-

alios antecellere ac supergredi. Hinc Paulus. *Si quis existimat* Gal. 6. *se aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit.* Quomodo negare poteris superbũ nihil esse, cùm dicatur: *Quid habes quod non* 1. Cor: 4. *accepisti?* Malè prorsus se Deus cum superbis habet, quia, *Deus superbis resistit*, superbus se magnificat, Deus despicit, ipse magnus apparere vult, Deus eum deijcit, à sæculo Deus cum superbis contendit. Recurrat mens omnes Reges, ac principes, quomodo Deo refragabantur; audiamus vnum illorum. *Vocauit omnes ma-* Iudit 2. *iores natu, omnesq; duces & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui, dixitq; cogitationem suam in eo*

B esse,

esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio. Quid factum postea? nō solùm hominis speciem amisit, sed vt bos alimento bestiali satiabatur, donec humilitate coram Deo allideret terræ superbiam. Taceamus Alexādros, Cæsares Romanos, quorum vita mera superbia, & licet confusione & humilitate prosterneretur Superbia, non poterat tamen plenè edomari. Oportuit vulnere Coronæ Spineæ Christi vulnerare Superbiam; Hinc Psal: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbū.* Psal: 88.
Post tale vulnus, quot numero qui Coronam Spineam eligunt præ aurea? S. Catharina Seneñ, S. Bernardus, & alij? Capite superbia crescit; capite cogitatur, præsumitur cum Pha-

Luc:18. risæo, *Non sum sicut cæteri.* Ergo exoluit caput Christi delictum, & vulnere Coronæ Spineæ, deiecit trophea superbiæ, vt quod *Dij estis*, Superbia fraudulenter promiserat, hoc Corona Spinea verè pollicetur & præstat cum Rege Cytharœ-
Psal:81. do, *Vos Dij estis.* Ergo victoria prima Spineæ Coronæ Christi.

CAPVT II.
De Peccato Inuidiæ.

BEnè appellat S. Bernard: Inuidiæ matrem Superbiam, iam adest illa, vt Spineâ Coronâ vulneret incarnatum Deum, & hic secundus ictus, Superbiâ diabolus eiectus è cœlo, ipse inuidiâ expulit hominem è paradiso, ergo filia, qualis mater,

ta-

talis partus. Aliquis putabat, inuidiam naſci in clauſtro, educari in aula, mori in hoſpitali: minor hæc opinio; maior, inuidiam natam in paradiſo, educatam in mundo, mortuam ſine morte in inferno. Cur? quia expulſæ creaturæ è cœlo, & paradiſo, & è mundo, nō mortuæ, quouſque durabunt illæ, non extinguetur inuidia. Mirum; Per inuidiam mors intrauit in orbem terrarum, & per mortē ſine morte intrauit in infernū inuidia: Quot nomina habet inuidia & alia alijs deteriora: S. Bernardus vocat eam, *Oculum Baſiliſci, Tineam animæ, Oculum venenatum, Ignem pectoris*, & ſimilia vocabula imponit veriſſima. Duplex illa tamen eſt, vna quæ inuidet

quod alter habet, vel habere potest, in Iosepho imago; adorationem somnij non credebāt fratres quod haberet, sed ne haberet ideò venundatus. Altera inuidia est, quæ hoc quod habet alter, ne habeat, laborat; in Adamo exemplar, ne haberet paradisum iam possessor factus, effecit ars diaboli: Verùm Deus benè inuidiæ soluit malitiam, & Iosephum adorauerunt fratres, & Adam non tantùm paradisum, sed etiam cœlum recuperauit: Quod remedium in vita S. Bernardi declaratur. *Vincit Inuidiam & mortificat homo exemplo humilitatis, & mutat in melius prouocatione charitatis.* Quis ille homo? Hic de quo Pilatus in Passione, *Ecce Homo*, quod elo-

In vita S. Abbatis

elocutus post impositionē Spineæ Coronæ; quid humilius & abiectius quàm Spina? ex humilitate, quod & pedes humani fugiunt, Caput ascendit Saluatoris, & sanguine madente ex vulnere prouocat & ostendit charitatem. Perijt ergo inuidia & victricem Coronam Spineam proclamat, cùm nemini occludat iam inuidia cœlum.

CAPVT III.

De Peccato Luxuriæ.

NOn longē ab his duobus vitijs recessit luxuria, illæ tanquā primogenitæ filiæ diaboli, & matres omnium peccatorum, ė Paradiso emigrantes genuerunt hanc de qua Sermo luxuriam, quæ totum orbem occupauit, & quia vrit propterea aquâ diluuij restinctus ar-

dor: Vnde tamen origo? Ex pomo gustato, At pomum antidotum contra luxuriam, quia refrigerat? natura pomi talis, verùm vt aqua frigida si calefiat, contra naturam fumat calore, sic luxuria. Certè sicut causa fuit diluuij quondam per aquam, sic est & erit causa tormentorum in inferno per ignẽ. Remedio multi vsi sunt Sancti, contra similes tentationes spinis; Christus vt satisfaceret graui peccato, vulneratus totâ Spineâ Coronâ, cùm enim consensus & intellectus persuadeant luxuriam, Caput Christi, quod delicta in se suscepit Spinâ trãsuerberari debuit; grande piaculum, cùm Saluatori spineum dolorem intulerit. Plurimi opinantur, propter nullum peccatum magis impleri infernũ,

quàm propter luxuriam: Exclamat iurè contra illam Granatensis. *O pestilens vitium, ô Destructionem Rerumpublicarum, gladium bonorũ exercitiorum, mortem virtutum, nebulam bonorum ingeniorum, imposturam hominum, ebrietatem sapientum, amentiam senum, furorem iuuenum, & communem pestem generis humani.* Optimè dictum sed hoc magis dolendum, quod cum senescente mundo magis iuuenescat hoc vitium, vix rationis compos homo, & iam gnarus malitiæ luxuriæ, iusto ergo Dei iudicio, non expectatâ pœnâ in altera vita, hîc statim puniatur à Deo, & varij morbi inficiunt libidinosos, licèt aliquos

Granatẽ in Duce peccatą

non tam Dei timor, quàm infirmitatis causa cohibeat à scelere, eò aliqui denique deueniunt, vt de tali fæditate glorientur, aliqui impossibilitatem euitandi pro certo sibi persuadeant, quod ex parte verùm, nam & S. Bernardi sonant simile quid verba. *Reuera difficile est libidinis incendia extinguere, impuberes stimulat, iuuenes inflammat, viros eneruat, senes & decrepitos fatigat.* Accidit, vt mors cum luxuria certaret de victoria, Mors enumerabat vires, pulchrum se posse deformem reddere, potentem exuere fortitudine, terribilem mansuetum facere, voracem abstinentem, quem denique orbis nequit capere, in vrna breui concludere: Luxuria im-

Bern. de interiori domo.

pro-

properabat morti, quòd res speciosas in turpes immutaret, aspectu iucundos antea, iam nares fætore impleret, illos qui fuére, extingueret, scilicet ignominiæ totum adscribendũ: Luxuria verò id agit, quòd laudem meretur, cùm senes & vetulas interno igne accendat adeò forti, vt licèt antea angulos quærerent, focum custodirent, tertio vel quarto pede indigerent, tussi & pituita aures & pauimentum implerent, tantoperé in vegetos, alacres, venustos conuertit, vt iuuentutẽ quis putaret é liminio reuersã. Et sic victoria fortè stetit ex parte luxuriæ, nisi offensa Dei maiori triumpho obrueret, cùm vel igne æterno damnat, vel hîc spinâ doloris dispensat delictum. Miser talis homo, si cogi-

gitatio Spineæ Coronæ Domi-
ni non expungit ardorem. Su-
me veram ſpinam ad imitatio-
nem Heri tui, admoue pedi vel
manui, eradicabis & euinces
pullulantem in viſceribus mali-
tiam luxuriæ.

CAPVT IV.
De Peccato Auaritiæ.

ALexandro magno viſus eſt
paruus mundus, ob ambi-
tionem, auaro paruus ob deſi-
derium habendi; Alexander
magnus in mundo, Alexandro
paruus mundus, auarus vult
videri magnus in mundo, ideò
paruus illi mundus, vel potiùs
exiguus mundi theſaurus ap-
paret. Auaritia genuit pauper-
tatem, filia quidem eſt, verùm
non naturalis partus, magis per
priuatio[illegible]ſubſtantiæ naſcitur,

quæ illi obueniret, si cupiditas
benè dispensaret: Abraham
duos habuit filios, Isaac & Is-
màelem, huic bona mobilia,
illi immobilia concessit; apud
auarum nihil est mobile, mo-
bile quidem dum ad illum au-
rum ingreditur, immobile fit,
cùm sedem în cistis figit, vt ni-
hil det pauperi, non enim au-
det mouere quod semel impo-
situm est: Ideò Saluator com-
parauit spinis diuitias, quia im-
plicant infinitis cogitationibus
caput, vt Philosophus quidam Thales
dixit. *Auarum & cogitationes
torquent quia non asseruat, &
homines persequuntur, quia non
expendit.* Timendo enim acu-
leos auri ac si spinæ essent, non
audet tangere, vt erogare pos-
sit, nam cor totum occupat aua-

ritia, quod contra naturam fit cordis, illud ita formauit Deus, vt esset figuræ triangularis, inferiùs contrahitur, superiùs autem dilatatur, declarando cordis proprietatem esse, terrenis parum affici, ad æterna debere distendi: Contra auarus in terram cor conuertit, de cœlo vix cogitat, *Affer* semper clamat, vt cumulet thesauros, non sitit autem ea quæ sunt super terrã; Ea de causa Spinas in Capite portauit Dominus Noster, vt auaritiæ inordinatum appetitũ aperiret. Spinæ solent esse in terra, aurum in capite; diues auarus, diuitias ponit vt spinas in capite, in terra veras diuitias cœli; non curat, vt spinas, vili pretio æstimat: Saluator stultitiam demonstrans diuitum, in Capite imprimi sibi Spinas iussit,

ſit, calcatis diuitijs tanquã pauperrimus omnium. Si interroges auarum, cur ſic anxiè congreget nummos? reſpondebit, nullam viam aliam eſſe ad ſuſtentandũ niſi vt tali modo quærat victum, non credit ſi ei replicetur Deum non derelicturum, vti de Elia in ſacra ſcriptura extat, cui panes & carnẽ edaces corui defferebãt, immò de ipſis coruis, vti qui rerum naturas deſcripsêre tradunt, pullos coruorum à parentibus deſtitui, quaſi alienos per ſeptem dies, donec ornati plumis nigris à parentibus agnoſcantur, illis verò diebus paſci à Deo vel roſe cœleſti, vel quibuſdam vermiculis, ſingulari Dei prouidentiâ ſubminiſtratis. Surdus ad hæc auarus immò inuertit illud Pſalmi. *Dominus*

Psal. *regit me, & nihil mihi deerit.*
22. Dicit diues : Saccus auri me regit & nihil mihi deerit ; interim vel inimicus, vel fur, vel ignis, vel denique mors aufert, & ipse reliquit Deus scit cui saccum ;
Psal: vt Dauid atteſtatur *Theſau-*
38. *riſat & ignorat cui congregabit ea.* Mos eſt dicere in mundo, tot tantaſque diuitias reliquit ille quia non accepit ſecũ, non illius fuerunt, opera tantum bona vel mala ſequuntur quia illorũ erant in vita. Reijciamus ergo affectu diuitias vt ſpinas, calcandæ ſunt vt ſpinæ, quæ quidẽ pungunt, ſed conteruntur tandem & comburuntur, niſi enim in mundo, cum puncturis doloris remoueãtur, conſumment igne inextinguibili diuites quia vbi theſaurus

ibi

ibi & cor: ſpinæ verò Domini Redēptoris quia falſitatem detexerunt diuitiarum, ſimilitudine ſpinarum, victoriâ infinitâ florebunt ſemper.

CAPVT V.
De Peccato Iræ.

Alia peccata ſolùm mala ſunt, ira & bona & mala eſt; ſi fuiſſet vſus irâ bonâ Adam contra Euam dum porrigeret in pomo peccatum, remanſiſſet in paradiſo, quia abſtinuit, pulſus ſubitò. Sicut terra fructifera in ſterilem, ſicut roſæ in ſpinas, ſic bona ira in malam mutata eſt; Iubet tamen iraſci Rex. *Iraſcimini & nolite* Pſ: 4.
peccare. Homicidium eſt malum, ex ira procedit, & tamen laudatur Phinees, commendatur Mathathias; Deus ipſe iraſci-

ſcitur; ita ira contra peccatū non vituperatur, ſed extollitur, ira peccatum perpetrans abominabilis: In Deo eſt ira parua & magna, Parua; cùm tantùm temporalibus punit hominem, ira magna cùm æternâ damnatione caſtigat peccatorem. Peccatum iræ eſt paruum & magnum, paruum cùm primo affectu irrecollectus, aliquid inordinatum facit, ſtatim tamen reſipiſcit; magnum iræ delictum, cùm vltionem coquit, perſequitur in honore, ſubſtantiâ, vitâ, aduerſarium; Prorſus ira contra rationē eſt, ideò ſumere vindictam, peccatum. Christus nec ſacrificij munus accipere voluit, niſi reconciliato inimico. Verùm dicet quis: quare contra rationem eſt ira? Primò, quia animam

tur-

turbat, velut mare quod ventorum flatu procellisq; spumantibus huc illuc iactatur, ita ira Cor humanum; S. Gregorius dicit etiam Zelum Dei à charitate procedentem, animam turbare, vt Deo non fruatur nec eum videat: sicut enim collyrium oculum quidem purgat & mundat, vt postea meliùs videat, sed dum collyrio inungitur non rectè videt; tum ait idē Sanctus, Dei Zelus Collyrium est animæ, quia cùm à charitate procedit, illam purgat ac perficit, sed dum durat, mentem turbat, vt Deum videre & eo frui nequeat. Secundò, hominum abiectorum & timidorū est irasci, ideo pueri, senes, infirmi, mulieres leuiter & facilè irascuntur; Confirmat sententia Aristotelis, qui asserit.

Greg: lib: 5. moral: cap: 3. in Iob.

Inter officia magnanimi esse nō irasci, & obliuisci iniuriarum. Tertiò, ira stultorum est præcipua proprietas: inde Sapiens.
Eccl:7. *Ne velox sis ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Quanta scelera committuntur irâ? delet hominem, quem Deus creauit, accipit substantiam, quæ à Deo data est, percutit illum, qui non ei subiectus, at Deo; ergo quasi potestatem Dei sibi vendicat. Verùm quis modus cohibendi irã? multi, vel continent vi linguã, nihil loquuntur cum Dauide.
Ps. 76: *Turbatus sum & non sum locutus.* Et de Artenodoro Plutarchus refert dedisse pro Pharmaco Iræ Augusto Cæsari consilium, vt nihil diceret aut facc-
Plutar: in Ap.

ret

ret iratus, nisi priùs recitaret Alphabetum Græcum; Et Seneca dicit. *Maximum remedium est iræ mora.* Vel potiùs imitando Christum Dominum, qui in passione non irascebatur, Iudam admisit ad osculum blandis verbis, Malcho impressori alapæ ferreæ mitissimè respondit, flagellatus, spinis coronatus, non commotus fuit irâ, immò quod maximum est sub Spinea Corona in Cruce primo verbo Iræ remedium cõstituit, illa voce. *Pater dimitte illis quia nesciunt quid faciunt.* Imitati Sancti, & S. Stephanus sub lapidibus, & S. Iacobus Minor sub fullonis ligno, eandem vocem ediderũt, recordati Spineæ Coronæ, quæ deuicit iram, immò omnes admittit tanquã

l. 2. de Im: c. 28.

Luc: 23.

ſub vexillum iracundos, ne pe-
reant, potiùs vincant iras In-
ferni.

CAPVT VI.
De Peccato Gulæ.

PEſſima Gula, quæ ſecundùm Bernardum, Adam innocentiæ veſte priuauit Quid nõ priuat illos qui Gulæ dediti ſunt? vti Parentes excluſit ex Paradiſo & ita multos excludit ex cœlo, vel potiùs non admittit, quorum Deus venter eſt, ibunt ad ſuumDeum Bacchum, ille non reſidet in cœlo, nam S. Hieronymo credendum eſt. *Impoſsibile & hîc implere ven trem & in cœlis mentem.* Gula prima omnium tentat, & eſt inimicus animæ, nam & Adam cum Eua, & Chriſtum poſtquã ieiunaſſet tentabat, dicens: *Dic*

Dic vt lapides isti panes fiāt. Math: cap: 4.
Gulosus ex lapidibus panem conficit vel vertit potiùs. Plinius asserit fluuium quendam esse qui herbas & arbores immensas ibidem existentes in lapides mutat, sic Gulosus vorando, in stomacho lapidem efficere solet cùm parum caloris habeat, nec cibum decoquere possit & in corpus diuidere, ideô in stomacho detentus, & iecoris calore exsicatus in lapidem vertitur. Gulosum appellare possumus stomachum Reipub: quia seruat alimenta omnium, velut Suetonius de Vitellio Imperatore affirmat, qui in vna cœna aduentitia duo millia piscium lectissimorum, & septem millia auium apponi curauit. Itaque vti Ieiunium Diuus Basilius vocat *Sepulchrum vitio-*

Pl: l. 2. Hip: c. 103.

Suető: in vita Vitel.

tiorum, *vitam virtutum*; sic è contrario gulam dicere possumus, *Sepulchrum virtutum*, *vitam vitiorum*. Diues in Euangelio condemnatus, quia *Epulabatur splendidè quotidie*. Regula autem diuitiarum, mensura erat Epularũ, non enim necessitas erat regula, sed vitium, & ideò hac regulâ, lapidem sibi elaborauit in sepulchrum animæ & corporis; Israël quare punitus cùm comederet Manna? Ait enim Dauid. *Adhuc escæ erant in ore ipsorum*, *& ira Dei ascendit super eos*. Vocatum est nomen loci, *Sepulchra concupiscentiæ*. In mensura Deus iussit comedere & bibere: figura huius; Præcepit Deus in mensura

Basil: hó: de Ieiun.

Luc: 16.

Ps. 27:

Num: 11.

Go-

Gomor Manna colligi, quod si quiſpiã ampliùs colligeret putreſcebat, non ideò ergo Deus menſurã propoſuit, quia Manna deficere poſſet, immò vt homines edoceret in menſura ab eis tẽporalia accipienda. Quin etiam Æthnicus Legislator. Licurgus conuiuari omnes publicè iuſſit, ne cuius diuitiæ & luxus in oculto eſſent; confirmat quidam, *Oculis Ciuium teſtibus factis, luxui modus fiebat*, Oculi ergo Dei magis ſunt attendendi, qui videntes gulam auertuntur abominatione, Intelligenda autem eſt Gula, quæ & in cibo excedit, & in potu exuberat; quomodo enim plenus venter carne & vino aptus erit ſeruire Deo? multorum vitiorum eſt cauſa, quod

ma-

magis peiorem bestiis reddit, quæ vltra satietatem nec comedunt nec bibunt: quot absumpsit crapula? De Holoferne legi Monachij in Bauaria versum. *Hoc caput Assiryj Regis est, Juditha recidit. Sobria mens vicit, ebria victa iacet.* Gula semper in pugna & culpa, pugnat contra temperantiam, culpam auget coram Deo, Gula litigat cum bursa, Gula primogenita Esau vendidit Iacobo, Gula amat delicias, odit spinas, potiùs cum alijs lignis comburit, vt edulia præparet. Christus sub Spinea Corona ieiunus fuit, nec bibit quia clamabat *Sitio*. Qui ergo desiderat esse membrum Capitis Spineâ Coronâ ornatum, gulam abdicet, & ieiunio merebitur

Ioan: 19.

par-

partipationem Spinæ Domini, aliàs non euadet ſpinas æternas, quæ nunquam comburuntur, veriùs torquebunt, multos Spinea Corona pingues & guloſos traxit ad ſe imitatione, debetur ergo ei de Gula triumphus.

CAPVT VII.
De Peccato Acediæ.

ACediosi non acceptant pænam latam à Deo in paradiſo, poſt tranſgreſſionem. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: Absq; ſudore vellent comedere & epulari: Duplex eſt panis, vnus qui cũ labore ſeminatur, & adueniente calore tempore meſſis colligitur nutritque corpora, Alter Panis de cælo in altari cum labore etiam & calore Gen: 3.

re animæ per Charitatem sumi. tur, &animam pascit. Acediosus vel piger, neutrum per laborem vellet acquirere, sed vt assa columba in os intret expectat: Relinquamus panem terræ, animæ potiùs consulendũ. Ponamus ergo cum S. Bernardo duplicem Acediam, ille quidem religiosis proponit, nos in omnes fideles trahemus; Vnum genus Acediæ est, ad opus Dei pigritare Catholicum, pudeat certè, ad formicam piger mittitur, quæ vt hyeme nutrimento non careat, totâ æstate haud otiatur; Et homo adeò otio indulget, vt pro æterna vita vanos consumat dies, mentem inanes cogitationes, & venenata tantùm occupent consilia, ager prorsus sterilis Acediosi, quem vrticæ & spinæ obsi-

Bernar: de ord: vitæ.

obſident, quid enim boni operari poteſt qui circum ſpinis obuolutus eſt, timet exire, ne lædatur, ieiunium, deuotio, mortificationes, Confeſſiones, Concio, Sacrum, ſumptio Venerabilis Sacramenti, ſunt ſpinæ, non audet pedem efferre piger, conuenitq; illud Pſalmi. *Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.* Omnia præcepta Diuina nolunt palpare dura ſunt & acuta, ad templum properare verentur, ne pedes offendãt; Et tamen habent manus & pedes ad peccata. *In circuitu impij ambulant*, Quare in circuitu? quia nunquam progrediuntur. *Iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarum.* Via enim in longum itur ad terminum conſti-

Pſal: 111.

Pſ: 11.

Prou: 15.

tu.

tutum cùm nihil impedit & planum eſt, at vbi ſepes ex ſpinis ſunt, quis pergere valebit? Dolendum quòd nõ poſ-
Pſal: 118. ſint cum Rege dicere, *Viam mandatorum tuorum cucurri.* oportet & currere & fatigari; Inſpiciamus Curſorem primum
Pſ: 18. noſtrum. *Exultauit vt gigas ad currendam viam*, Certè cucurrit, & fatigatus eſt: At
cap: 4. non ſcribit S. Ioannes Euangeliſta, cùm ad fontem ſediſſet, expectando Samaritanã quòd fuerat Ieſus fatigatus: Fatigatus autem non cùm Angelos creauit,& cœlos, verùm in hominis reparatione͂ fatigatus. Et tu piger, vt te repares & tuã ſalutem, ne fatigeris, fugis laborem, & opus Dei in præceptis datum negligis. Alterum

Acc-

Acediæ genus vagari huc illuc, & fugere à bona ſocietate & occaſione inſeruiendi Deo: ſic fit, fugit peccator acediâ occupatus à Dei domo & velociter currens elongatur. Notat hæc Ieremias. *Curſor leuis explicat vias ſuas, Onager aſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ, attraxit ventum amoris ſui, nullus auertet eam, omnes qui quærunt eam non deficient.* Hier: 2.
Fxplicat hoc S. Hieronymus: Quomodo capra leuis, quam nos Curſorem dicimus, velox fertur ad pabula, & ſicut onager in ſolitudine trahit ventum amore ſui, ſic (omnis anima acediæ immerſa) toto impetu ad deſiderium libidinis fertur, nec vllus eſt, qui ſuis monitis eam ab hoc impetu poſſit auerte-

te-

tere: Qui eam quæſierit, ad malum paratam inueniet, non laborabit eam quærens, ſi verò ad bonum quæſita fuerit, nullus eam conſequi valebit, nullus auertet à malo. Solus Chriſtus ſepes ſpinarum quibus propterea cinctus eſt deſtruxit, ac in Capite Coronâ cinctus illas Spinas collocauit, vocat pigros ad bonum curſum, fatigatur in Cruce, dum Caput Spinæ reclinare ad lignũ prohibent. Acedioſi, ſumite Spinas Compaſſionis Chriſti, certè curretis ad brauium, quod Spinæ Chriſti meruerunt vlulante Inferno.

CAPVT VIII.
De Peccato Viſus.

POſt peccata Capitalia ſeptẽ, ſuccedunt quinque ſenſuum

ſuum Imperfectiones, ex quibus primum eſt Organum viſus, quod omnium malorum cauſa, illo Dæmon parentes infecit Noſtros, Viſio enim à Deo creata ad videndum vt in ſe eſt conditor, Serpens verò in vetito pomò ipſos poſſe fieri Deos in paradiſo ſuggeſſit, & corrupit oculum. Hactenus mors & peccatum in pomo latuit exiguo loculo, iam oculus cum aliis Confratribus ſenſibus, emittendo quaſi ex ergaſtulo, mortem & peccatum, totum orbem occupare conceſſit, Ideò Chriſtus, *Si oculus tuus ſimplex erit, totum Corpus lucidum erit,* Luc: 11. Peccato & Adami & omnium noſtrum ſimplicitatem exuit oculus, vnde totum corpus tenebroſum; Parentes in Simplicitate oculi ambulantes lucida

cor-

corpora habuêre, amiſſâ illâ, corpora tenebras quærebant abſcondebantq; ſeſe tegere cupientes. Quare? Ieremiæ dictũ.
Thren: 3. *Oculus deprædatus eſt animam meam.* Latro eſt, exuit veſte immortalitatis, tollit beatificã viſionem Dei, diaboli ac inferni acquirit conuerſationem, perpetuæ inter Deum & animã inimicitiæ cauſa: Sicut parentes primo viſus pomi allexit ad colloquium cum Serpente, ita omnium peccatorũ anteſignanus oculus; Iob proteſtatur.
Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem de virgine.* Falleris Iob, oculi non cogitãt, mentis intellectus hæc proprietas; Falleris tu potiùs qui culpas Iob. Duplex eſt oculus internus & externus, vt viſio Dei

pro-

promissa oculo interno & externo, priori essentia Diuina, exteriori HumanitasDei & quæ subsunt sensui. Peccatum maculauit ante externũ oculum, hic transmittit interno vt pomum Eua Adamo: Innuit Saluator. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo.* Docent Philosophi nihil esse in intellectu quod non fuerit primò in sensu; itaque eradicando oculi vtriusq; prauum effectum, Iob profitetur se nolle cogitare de virgine. Oculo vidit Adam & Eua pulchrum pomum, nouerat sibi vetitum ob mortem, viderunt illam esse ibi, Complacentia, confabulatio obliuioni tradidit mandatum; ab externo oculo

Matth: 5. ℣. 28.

celeriter internus informatus accepit, permisit, pomum aperuit, mors emissa fauces Adami compressit. Fenestræ sunt oculi nostri mortis, confirmat S. Bernard. *Occupauit omnia membra lex peccati, liberè intrabat mors per fenestras meas, cuius nimirum factus eram seruus etiam ego ipse.* Instrumentum nobilissimum arte Inimici, & indulgentiâ nostrâ, obedit magis inferno quàm cœlo, immò mouet manus, pedes ad peccatum tanquam conductor & cooperator malorũ. Dominus in Euangelio. *Si oculus tuus scandalisauerit te, erue eum & proÿce ab s te.* & similiter de pede: Primò tamen de oculo, non timendum de alijs

In Psal. Qui habitat. f. 532.

Math: 18.

alijs membris, si oculus abhorret à scandalo: si non, & pedes & manus scandalizabũtur: Causa Sanctis fuit vt cœcitatẽ elegerint præ visu maligno, S. Ignatius Patriarcha Societatis dixit: *Terra mihi sordet cùm cælum aspicio* Si ergo festuca, trabs, Christo admonente eruenda ex oculo, multò magis mors subsequens, peccatum; Christi Corona organũ visus Spinâ infallibiliter læsit, & sanguine velamen imposuit; Eius exemplo pungunt, auertunt, purgant oculos electi in vita, aspicientes vt stercora omnia in mundo, solam visionem in solius Dei conspectum in æternum præparantes: Oculorum electorum ergo aciem acuit Spinea Corona, deuicit maleuolorum detrusitque in abyssum impura organa.

CAPVT IX.
De Peccato Auditus.

NOn pepercit malus auditus Capiti Christi cruore sua ex parte Spinâ expresso. Auditus Visum sequitur, visus solus secum ruminat quod videt aliquando, hic cum alio & per alium. In paradiso sæpè fortè oculus aspexerat pomum, nec ad peccatum traxit; Auditus à serpente sermo oculorum concupiscentiam confirmauit. *Eritis sicut Dij* placidè verbũ acceptum, hinc consensus: Disputatio pręcessit, interpretatio, additio, his auditus applausum fecit, Et ob auditum, & parentum & serpentis simul secuta maledictio: Fides non commissa visui, nam quod video fides non est sed res, Auditus Custos

ſtos & executor fidei: Deus ſi-
de Parentes primos inſtruxit.
Ex omni ligno paradiſi come- Gen: 2.
*de, de ligno autem ſcientiæ bo-
ni & mali ne comedas, in quo-
cunq; enim die comederis ex eo,
morte morieris.* Debebant cre-
dere ſe morituros ſi manduca-
rent; Alia lex ſerpentis, eritis
ſicut Dij ſi comedetis; aure
vtrumq; audierunt, relicta fidè
à Deo deſciuerunt, & decepti
promiſſo diaboli excluſi ſunt;
Plane illud congruit. *Dic no-
bis placentia & audiemus te.*
Placitum auditui poſſe ſe fieri
Deos, ſtatim maledictio adfuit.
Inter alia quia & ſerpentis vox
audita, & Adami ab Eua exau-
dita, terra *Spinas & tribulos* Gen: 3.
germinabit tibi; Ergo præci-
puè

pué auditus causa fuit nascendarum spinarum in terra. Ideo, Saluator veniens maledictionem omnem tollere, Passione sustulit, & quia portauit peccata omnium, etiam spinæ quas terra maledicta produxit, creuerunt in Capite Christi, Et sicut post peccatum omnis homo non est homo, assertione Re-
Ps: 48. gis pænitentis, *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Ita satisfaciendo Redemptor & reassumendo hominis speciem postquam Coronâ Spineâ indutus comparuisset, auditum à Iudice verbum : *Ecce Homo.* primò debuit organum auditus affligi Spinâ Christi, tum primùm redijt ad hominis imagi-

gi-

ginem, & per illum peccator, quia Spina sacrosancta spinam abstulit maledictionis terræ, ex qua homo formatus. Sed obijcitur. Nonne Pilatus irridendo dixit *Ecce homo*, quomodo ergo similitudo hominis redijt? Verum est, at pœnitens homo talis esse debet; pœnitentia à Pilato & eius similibus irridetur, Deus Pater verum hominem agnouit, immò Regem, vti in Psalmo. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, Psal: 2. Non hominem mundus iudicat pœnitentem, insultat potiùs; hinc & habitus religiosorum afflictorũ mundus odit, Cœlum aliter approbat hominem esse Spinâ Contritionis attritum; Sicut enim Spinea Corona Christi, post Resurrectionem in glorio-

ſam verſa Coronam, ſic ſpina pœnitentiæ in iudicio reſurrectionis fulgebit ſicut ſol; auditus organum reparabitur, audito verbo *Venite benedicti*: è contra auditus peccatorum æterno terrore & tortore quaſi conſumetur, voce Iudicis detonante, *Diſcedite à me maledicti.* Audiat & cognoſcat ergo terra, & cœlum Spineam Coronam Domini, & ſerpentis auditum, & Hæreſiarcharum diſſeminatum per auditum dogma; viciſſe, transfixiſſe, infernoque alliſiſſe.

Matth: 25.

CAPVT. X.
De Peccato Odoratus.

IMpiorum apud Sapientem vox. *Coronemus nos roſis antequam marceſcant.* Breuis odor,

Sap: 2. ℣. 8.

odor, euanescit; Sponsa alios odores quærebat. *In odorem vnguentorum tuorũ curremus.* Cant: 1. ℣. 4.
Parentes nostri à Serpente ad odorem pomi vocati emarcuerunt, odor, in fætorem conuersus mortis, maledictio teterrimum odorem corporibus intulit, ex omnibus sensibus humanis ingratissimum. Nasus odorem exhalat, ach quales sordes inde exeunt? Terra, quæ Rosas ante odoris delictum emittebat, postea spinas germinabat absque vllo odore. Spina autem in Christi Capite rosas designat: hîc in mundo spinæ non habent quid gratum, rosæ etiam statim euaporant, Spinæ verò in Redẽptore suauissimum odorem redolent, vnde animæ currunt in odorẽ benedictæ, Coronas Spineas, &

tormenta, mortem, præ aureis Coronis libantes, illæ certissimè sunt halitu amabiles cœlesti. Postquam ergo Caput Spinis Domini ornatum fuit, Deus currentibus ad talem odorem promittit. *Ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceriâ*, præ rosis & lilijs odorare faciam, nec ad fætorẽ mundi redire patiar. Mos in mundo, diuitum si quid non gratum naso, quærunt odores, quibus expellant quod inficit; Peccator quasi catarrho obrutus non sentit fætorem offensæ Dei; itaque odorifera adhibeat, Spinam Christi in ignem amoris erga Deum inijciat, fragrantissimus odor enascetur. Si ergo ad conflictum cum carne te præparare vis, fac id quo antiquitus luctatores vsi; vn-

Oseæ 2.

ge-

gebant corpora, idipſum Saluator imitatus antequam paſſionis initium daretur, vngi ſe à Magdalena permiſit, caputq; ita obfirmauerat, vt fortiter ſpinarum puncturas ſuſtineret. Vnge te vnguento miſer peccator odorifero ex paſſione Domini, & punge ſpinâ doloris, vinces omnia tormenta & inſultus carnis; nam ſicut inter ſpinas Roſæ naſcuntur, ſic in Capite Christi Spinæ inter rubeo colore emanantes guttas ſanguine productæ: Ego exiſtimo ideo Iudæ animam non per os, quod licèt ſpurcum fuerit exiuiſſe, cùm in oſculo applicatum ori Redemptoris odorem retinuiſſet, ideò ruptis viſceribus eiecta: Latro verò pendens conuerſus, odore gratiſſimo è Corpore & ſanguine

Chri-

Christi egrediente perfusus, cucurrit in odorem, eodem die
Luc: 23. voce auditâ: *Hodie mecum eris in paradiso*, nam in loco supplicij fætorem extinxit Corpus Christi, & traxit odore Latronem: Quid mirum? cùm & Vestis Saluatoris Treuiri asseruata (vti ex relatione Archiepiscopi loci illius audiui) spiret iucundissimum odorem, & quæcunque res tangit Vestem, ad annum eandẽ retinet fragrantiam; Spinæ ergo in Corona Christi odore allexerunt animas ad Cursum, Fætor in inferno relictus, vbi qui adeò vnguentis vsi, in mundo, Dei mandata tanquam ingrata reiecerunt, iam squalore stercorum macerabuntur in æuum, odoratus enim & in cælo & in inferno pascetur suauitate sui obiecti

In.

In inferno nullus vnquã odor, in cœlo alius, mundano excellentior, ideo post mortem non adhibuit Christus vnguenta præparata à Mulieribus; Vicit itaque odor Spineæ Coronæ Domini Infernum & peccatum ac nunquam marcescet.

CAPVT XI.
De Peccato Gustus.

VTi aliorum Sensuum ante in vita & in passione Christus vsus est instrumento, ita & Gustus; Visu, respexit Petrum, auriculam Malcho ingrato restituit, òdorem vnguentorum à Magdalena cum indignatione aliorũ, in Corpore excepit, Tactus, virtutẽ in Veronicæ efformatâ effigie solatium reliquit; Gustu, ter passionem suam illustrauit, primò in ultima Cœ-

na Corpus & ſanguinem man-
ducandum & bibendum propo-
nendo, Calicem propinatum à
Patre in Horto ebibendo, in
Cruce fel & acetum guſtando,
hinc illa vox *Sitio.* Poteſt oriri
quæſtio, cur Saluator non di-
cendo ſitio, Calicem in horto
exhauſit, & in Cruce clamando
ſitio, tantùm guſtauit? innuen-
do, licet Deus neſcio quàm a-
marum Calicem propinet ho-
mini, accipiendus eſt cum Daui-
Pſal: de *Calicem ſalutaris accipiam,*
115. & addidit, *Nomen Domini in-
uocabo*; Quali modo? Cum
Iob dicendo, *Dominus dedit,
Dominus abſtulit, ſit nomen
Domini benedictum*; Impoſſi-
bile enim ſine calice ingrato in-
trare Cælum, è contra ſine cali-
ce intratur Infernus. Propinat
De-

Deus duplices Calices Iustis, veluti duobus illis Discipulis, *Potestisnè bibere Calicem quem ego bibiturus sum?* & biberunt & bibunt Electi, cùm varijs tentationibus, mortificationibus in vita macerantur, at in Cœlo, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*; Et, *Cibauit eos ex adipe frumenti*, Felix talis gustus. Alter Calix offertur reiectis à prædestinatione: de istis dictũ. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Tunc à Deo porrigitur Calix secundus. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto, bibent omnes peccatores terræ in æternum.* Itaque Christi sectatores bibunt hilari vultu oblatum calicem á Deo. In Cruce

Math: 20.

Ps: 35.

Ps. 80.

Iob: 21.

Ps: 24.

licet

licèt dixerit Sitio, tantùm gustauit, quia non intellexit mundus quid sitiret, ille salutem nostram, hi putant fel & acetum. Ornatum Caput Spineâ Coronâ, quia tot peccata puncturis delere decreuerat, adhuc sitiebat, inde fel & acetum porrectum, repræsentando venialia & mortalia peccata; gustauit tantùm, quia non plenè à mortalium cordibus sustulit. Deinde & hoc considerandum, in hac vita gustus breuiter amaritudinem sentit, tantùm gustat; momentaneæ afflictiones quid sunt, respectu æternitatis. Hac de causa Christus Doctor in suggestu Crucis voluit instruere, omne insuaue citò transire tantùm in hac vita; In altera inuitat Rex nomine Christi:
Ps. 33. *Gustate & videte quàm suauis*

nis est Dominus; Mirabile, primò gustatur deinde videtur? Contrarium faciunt mortales, vident primò, postea gustant, sed hæsit illud in faucibus vt spina, nō sic cum Deo, in mundo debet gustari. *Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna*, in cœlo Deum videre merebuntur illi qui doctrinam & mandata eius gustant. Prophetæ totum librum iussit Deus comedere, aliqui partem ex libro comedunt, quod tantùm illis placet, vt Politici & Hæretici, quæ palato solùm arridēt, ea deuorant, non quæ à Deo porriguntur; Dicit S. August. *Vuam cape, spinam caue*, Parce mihi Augustine, contrarium affirmo, Vuā mundi caue,

2. Cor: 4.

S: Aug.

Spinam Christi cape; Spinâ hac munitus quilibet gustabit fel & acetum mundi, sed non bibet, nam gustus Spineæ Coronæ visionem Dei offeret, & triumphum ducet in æuum.

CAPVT XII.
De Peccato Tactus.

COnsummatio peccatorum Tactu perficitur: Parentes nostri tacto manibus pomo, tactum manus Dei terribilis experti sunt, tactus pomi & omnium nostrum illicitus non sanatus, nisi tactu omni genere tormentorum in corpore pretioso Christi. Midas ex fictione Poëtica quæ tetigit in aurum vertit; peccatum tactus, omnia in toxicum & Dei transformat offensam; restitutio per Saluatorem sensus tactus & immuta-

tio peccati in gratiam, omnia flagella, ſpinas, clauos, lanceæ vulnus, in ſolatium conuertit æternum: Profitetur Propheta. *A planta pedis vſq; ad verticem Capitis non eſt in eo ſanitas*, vertex Capitis ſpinâ, pedes clauis cruentati; tactus peccati delectationem pariunt, verùm terribilium dolorum Domini cauſa fuêre: Hinc Pythagoras docuit. *Imaginem Dei ne afferas in annulo*, id eſt animam corporis voluptatibus ne alliges, vti S. Hier. explicat, quid eſt alligare, niſi ſemper tactu peccare? Redemptor ergo, vt omnium membrorum tactus illicitos ſanaret, in omnibus viciſſim Sanctiſſimis membris acutiſſimos cruciatus pertulit, Iſai. 1. v. 6.

in capite onus ſpinarum, in ore fætidum Iudæ oſculum, in facie alapam & ſputa, in dorſo acerrima flagra, in manibus & pedibus clauos ferreos, in corde vulnus lanceâ perforatum; Et licet ſpinæ pro omnibus delictis Capiti impoſitæ, præcipuè tamen pro tactus exceſſu omnes ſimul impreſſæ, quia omnes tactu ſauciarunt Caput. Et quidem non ſemel, nam cùm ad Caluariæ locum deuentum fuiſſet, veſtis inconſutilis per caput detracta, commouit nouum dolorem Corona ſpinea; in eleuatione Crucis in foramen demiſſa Crux recrudeſcere fecit ſpinas, adacto Capite ad lignum Crucis, ibiq; ad mortem tactus Crucis, Coronæ ſpineæ, ſemper alias cauſabat puncturas. O quam felix qui illici-

to

to tactu peccans, ſpinam licet vnam poſſet ex Capite Chriſti ſumere & doloris in ſe excitare materiam. S. Benedictus amator ſpineæ Coronæ tentationũ volutatione in ſpinis abegit incentorem. Regnum Chriſti deſtruere venit regnum diaboli; quid aliud in mundo fiebat niſi omnibus ſenſibus præcipuè tactu impunè peccabatur: reciproco tactu Deus deleuit aquâ diluuij carnẽ, verba ſũt S. Scripturæ, Pænituit Deum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore Cordis intrinſecus, aquâ conſumpſit mortales; Tactu tactum puniuit impurũ Creator. Coronam Reges portant auream, vt ſenſus delectet, tangit & ambit aurum caput; Rex Regum deſtructor tactus impudici, aſſumpſit Coronam Gen: 6.

Spi-

ſpineam, & tactu cruento reatus huius ſenſus abolitionem à Deo Patre obtinuit; Magdalena quæ tactu peccauerat, tactu pedum Christi mundatur; immò Longinus tactu lanceæ aperit fontẽ quo vno oculo conualuit. Tangat Peccator contemplatione ſpineam Coronam, ſanabitur à tactu mundano, infigat illam cordi, cruore pœnitentiæ delebit offenſam: Ne tactu ſempiterno cruciarentur fideles, Chriſtus tactu ſpinarum eluit delicta: In inferno tanquam Araneæ quæ præceduut tactu omnia in venenum & cruciatum damnati vertent. Regnet ergo ſpinea Chriſti Corona quæ Electis ex ſpinis tactum gloriæ cæleſtis nectit.

Ca-

CAPVT XIII.

De Peccato Homicidij.

POst expulsionem è Paradiso parentum Nostrorum; Primum peccatum in cœlum clamans perpetratum à Cain homicidij, Abel enim interfectus ab illo, primus mortis sententiam à Deo latam expertus; Desperatio secuta in Cain & contentio cum Deo: Interrogatus à Deo: *Vbi est frater tuus?* Respondit: nescio, *Nunquid ego sum custos fratris mei?* Gen. 4. ℣. 9. Custodiuit vt occideret, & negat se occisum custodire; sic fit in homicidijs, diligenter antecedunt occasiones perimendi, postea vellent nescire, nec vt alij scirent, variè laborant vt occultetur facinus, verùm sicut interfecto Abel

pri-

primogenito mortuorum, primò ſanguinis eius clamor auditus à Deo, ſic omnium occiſorum. Hac de cauſa inter quatuor clamantia primo loco ponitur, & S. Bernardi opinio eſt, homicidium primò omnium in decalogo debuiſſe prohiberi; ſed quomodo ſanguis clamat? Clamor hominis aure ſola excipitur, ab aliena aure, Deus diuerſas habet aures, ideò diuerſus Clamor; Clamat enim & inſurgit tota creatura contra peccatorem, etiam dormientē Deum quaſi excitat, quod at-
Pſal: 9. teſtatur Dauid. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus*
Pſ: 48. *tua.* Et iterum. *Exurge quare obdormis Domine.* Nihil ſecretum in terra quod non ſciat cœlum; Rex pœnitens interfici

fici curauit Vriam in bello, latuitné hoc delictum? Non: Nathan Propheta tantùm abest vt exprobraret facinus, potiùs quomodo factum sit, enarrat his verbis. *Vriam Hethæum* 2. Reg: 12.
percussisti gladio & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Iurasset Dauid se non occidisse; at non gladio proprio sed alieno perijt: Quatuor enim modis peragitur homicidium; Manu, vt Ioab Abner; Præcepto, vt Dauid Vriã; Cõsilio, vt Naboth Iezabel; Cõsensu, vt Pharisæi Christum: Cain his modis omnibus occidit Abel: dicet aliquis, quo instrumento vsus fuit Cain vt interficeret? Opinio multorum, baculo rem peregisse in agro;

ibi fortè vt in terra inculta post maledictionem ſpinæ creſcebant, inter ſpinas fortè baculo occubuit innocens Abel; Secundus ergo Abel noſter Redemptor interemptus à poſteritate Cain ligno, vbi inter Spinas òbijt. Sicut ſignum Deus poſuerat in Cain Thav, vt multi opinantur Doctores, ne occideretur, ita in noſtro Abel contrario idem (nam Thav inſtar Crucis ſignum eſt) vt occideretur, factum: verùm ſua morte homicidas multos à morte perpetua liberauit, immò in ipſa paſſione abſolutus eſt homicida Barabbas, & poſt dimiſſionem eius, Corona Spinea impoſita Capiti Chriſti, vt ſpinam acutam homicidij elueret pœnitentiâ pro alienis talibus exceſſibus: Ergo iuſtè clamat

Rex

Rex Cythæredus. *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ*, bis inuocat Deum Creatorem & Redemptorem. Hac ætate, præsertim in hoc Regno, clamat sanguis vt vindicetur, verùm non sanguine at marsupio punitur; Cœlum autem offenditur tali vindictâ. Ach quot homicidia impunita fuére? Meritò Deus clamore tanti sanguinis effusi excitatus, immittit bella, pestes, famem, & similia mala, pungit vt spinis mortales cùm multi gladio inimicorum pereant; Christus effudit sanguinem pro inimicis, & nos amicorum etiam redemptorumque sanguine Saluatoris, sanguinem effundimus? Præsit hoc peccatum Spina acerrima Domini caput, hinc mul-

Psal: 50.

multorum pœnitentia secuta, qui lacrymis vti Dauid transferunt à se peccatum. Homicidæ, confugite ad spinã Contritionis, per Spineam Coronã Christi veniam petentes obtinebitis. Alias certò in fauces incidetis illius homicidæ primi Rectoris Inferni.

CAPVT XIV.
De Peccato Oppressionis Pauperum.

SEcundum Peccatum clamãs & ore & sanguine in cœlum est Oppressio Pauperũ: Exurgit Deus in vindictam cum Psalmista Regio. *Non est oblitus clamorem pauperum.* Et
Psal. 9. iterum. *Patientia pauperum nõ peribit in finem.* Tum addit.

Ocu-

Oculi eius id est Dei *in paupe-rem respiciunt*. Et in alio Psalmo. *Propter miseriam ino-pum & gemitum pauperũ nunc exurgam.* dicit Dominus. Non differt, nunc, statim. Quare tam citò; Quia præcipuè curã pau-perum Deus suscipit, ita vt pau-perrimi figuram & vitã, dum es-set homo expresserit. Oppresio pauperum fit propter diuitias, putãt diuites non posse se acqui-rere diuitias nisi per oppressio-nem pauperum, áb extremo ad extremum transeunt vt ipsi ni-mis habeant, Pauperes verò nihil. Quatuor modis fit op-pressio pauperũ, vel emunctio-ne substantiæ vt & sanguinis, vel nimio labore, vel iniuriâ, & vapulatione nimia, vel morte innocente. Christus ergo vt op- Psal: 11.

pres-

pressionem depingeret in passione sua, omnia hæc sustinuit. Quæ illius substantia? Vestes duæ, hæ ablatæ & divisæ, etiam cum sanguine abstrahendo à sacro Corpore, & Coronam spineam in detractione commouendo; laborem nimium sustinendo; laborem nimium sustinuit, absque requie à puncto comprehensionis in Horto, ad vltimum halitum vitæ; caput non otiabatur Spinis confossum, dorsum flagellis concisum, Corpus graui pondere oppressum, manus & pedes onus clauium sustinentes: Iniuria aderat excessiua, dum falsarius, potator; seductor, vocaretur: Vapulatio apparuit, dum flagellis corpus, Caput arundine spinarum aculeos imprimendo in cerebrum percuteretur. Tandem, mors innocens subsecuta,

cru-

crudelis, infamis. Pretium leuissimum in lege Regni constitutum, pro occiso paupere centum Marcæ soluuntur; Saluator viliorem proprij Corporis ordinauit quantitatem, ita enim contemptui Iudas Dominũ proposuit, vt diceret, *Quid vultis mihi dare & ego eũ vobis tradam?* date quid vultis, etiam obolum, vendam, nullius apud me valoris est, exiguâ summâ pecuniæ acceptâ tradam: Redemptor ergo quod docuit, hoc & fecit: vti enim diuites, ornant se auro & gemmis vt splendeant, sic Christus cúm spinis, quas diuitijs comparauit, adstabat lateri Pilati oneratus illis. Et sicut pauperes nimio labore ex agris spinas eradicant, ita vice versa summo labore

Matth: 26.

spi-

ſpinæ in agro ſacroſancto Capite videlicet Domini á maleuolis radicatæ ſunt usq; ad ſanguinem, qui expreſſit effuſum ſanguinem miſerorum: Oppreſſores ergo congregatione diuitiarum nectunt ſpineam Coro-
Matth: nam Chriſto dicit ille, *Quod*
25. *vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, Veniet tempus niſi ad ſpinam doloris conuertan-
Pſ: 57. tur oppreſſores, quod Propheta prædicit, *Priusquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum ſicut viuentes ſic in ira abſorbet eos*, id eſt antequam ex diuitiis iniuſtis ad libitum theſaurum congregetis, ſubitò ira Dei permittente Infernus abſorbebit vos, ſpinisque æternis transfiget; ſicut enim ſpinæ in Chriſti

Corona in gloria post resurre-ctionem apparebunt, & reuirescent, imitatores eius in æuum; sic diuitiarum gloria in spinas pungentes vertetur, & configet acuto perpetuoq; cruciatu sectatores eius. Multos tamen oppressores Corona spinea instruit veras spinas esse diuitias, qui abiurato earum vsu ad paupertatem spiritus conuersi, opprimunt Carnis & diuitiarum desideria; ne clament pauperes, obturant os satisfactione, restitutione, compunctione. Victoria ergo nunquam deerit spineæ Coronæ.

CAPVT XV.
De Peccato Retentæ Mercedis.

SVccedit tertium clamans peccatum, dum Diuites vo-

ſunt vt illis gratis ſeruiatur, promittunt multa, parum vel nihil præſtant, contrahunt pollicitationibus, ne re ſoluant: firmatur aliquando contractus manu & ſigillo, poſtea manum ſubtrahunt, & verecundi ſunt aperire ſigillum ſcrinij; ſed nō nouum genus ſoluendæ mercedis; Senecæ tempore idem accidit, hinc illa ſententia.
Senec. *O turpem generis humani fraudem, publicæ nequitiæ confeſſionem, annulis noſtris pluſquā animis creditur.* Quid diceret, ſi iam nec annulis nec animis fides adhibeatur? Recte ille
S. Paul: locutus. *Radix omnium ma-*
Tim: 6. *lorum cupiditas*, ita amore trahuntur aliqui erga mammonā, vt tractare manibus in accipiendo delicias putent, reddere

pro

pro mercede quasi paralysi manus infectæ non facilè mouentur; sic custodes tantùm sunt thesauri, & auaritiæ, eius iussu dispensant, vel tardè vel nunquam. Alius modus non soluendi est, si minima occasio datur vindictæ, vlciscuntur detentione mercedis, & iure hoc fieri interpretantur. Nec ille modus reijcitur, non soluunt vt illis diutiùs seruiatur, miseri verò serui ne amittant præterita solatia seruitij, continuant famulatum, fit tamen vt ex parte tantùm compensetur damnum, contingit aliquando vt loco mercedis monetâ baculi persoluatur, vel eiectione è domo: Christo id contigit; per tres annos continuò saluti Synagogæ inseruiuit, vt ipse per Prophetam enarrat: *Quid est*

Isai. 5. ℣. 4. *quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci ei?* Quæ merces? Spinea Corona, Crux, decretum mortis, eductio; è ciuitate ad montem Caluariæ. Præcipuè tamen merces retenta conſcientiam onerat, dum decimas Sacerdotibus aſſignatas detrahunt aliqui, hi enim cùm animabus inſeruiant, ſi corporum alendorum ſufficientia ſubtrahatur, animarum cura periclitabitur. Sacerdotes ſunt Miniſtri Eccleſiæ in Capite Chriſti collocati, qui ſubtrahit mercedem, Spinam Capiti Domini infigit. Execrandum peccatum, quod parturit quatuor deſcendentes tanquam à fonte ciſternas offenſæ Diuinæ: Vindictam clamant non ſoluti in cœlum, dicentes: Vindica Domine iniuriam; Famam malã

&con-

& conſcientiam, quæ per ora hominum volat, & pungit, vt ſpina roditque intùs tanquam vermis animam. Famem cauſat, dum inſoluti egeſtate conſumuntur & pereunt. Mortem ex retentione ſolutionis nõ ſolutorũ accelerat, ſibi verò mortem eligit æternam. In Euangelio conuenit de denario Pater-familiâs qui omnibus ſoluit, licèt alij murmurarent. Noſtri Patres-familiâs licèt non ſoluunt, nec denarium dant, nec bona verba. Vtinam non malâ imprecatione diris deuoueant iniuriati, ad laborẽ enim merces inuitat, ſi ille terret hæc ſolatur, itaque ſtrenuos reddit operarios, vti Chriſtus admonet & præcipit. *Dignus eſt operarius mercede ſuâ.* Et Iuſtitia quid docet, niſi reddere vni- Luc: 10. ℣. 7.

cui-

cuique quod ſuum eſt. Contra iuſtitiam ergo peccat qui non dat mercedem laboranti, quia illius eſt; Deus, ille ſtat promiſſis, nec fallit, Abrahamo
Gen: 15. dixit: *Ero merces tua magna*
℣. 1. *nimis.* an non executus? cùm ſe eius Deum nominauerit; & per illum filij & nepotis eius, ſcilicet Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum Iacob vocari præceperit, & nos omnes prædeſtinatos in gremio Eccleſiæ filios Abraham appellari iuſſit, immò pro exiguo labore æternã mercedem deſtinauit: Vos ergo qui retinetis labori & ſeruitio mercedem, ſcitote quia Spina Caput Chriſti oneratis; ſed in hac vita alleuiare facietis aculeum ſpinæ, ſi cum Zacheo nõ tantùm non reddetis debitum mercedis, verùm in quadruplo re-

restituetis, spinæ æternæ vos non suffocabunt, verùm Spinea Christi Corona veniam impetrabit; Mirabilis virtus & efficacia Spinarum Domini.

CAPVT XVI.

De Peccato Sodomiæ.

VLtimum clamans peccatum carnis est quod ignem è cælo euocat, nullum crudeliùs à Deo scelus punitum, generale peccatum generali aqua deletum, in particulari aliquot Ciuitates igne teterrimo luere noxam coactæ. Causa, grauitas peccati; Quæ tanta ut cum totò orbe decreuerit Creator creaturam igne absumere, arrha atrocitatis eiusdem pænæ ob spurcissimum delictum data miseris incolis: Forte nihil fædius peccato Sodomiæ, & adhuc

huc aggrauat peccatum gloriatio delicti, quod Sodomitæ executi ſunt, cùm peccata ſua publicarint, inde ira Dei accenſa igne, publicoq; incendio deleuit ſceleſtos. Executores miſſi duo Angeli, qui decretum diuinum ad effectum perducerent. Poſſet quis cogitare quare duo miſſi ſint Angeli? Ad annunciandam Incarnationem Secundæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis vnus Gabriel Legatus, ad Deiparam, ad Tobiæ peregrinationis ſocietatem, etiam vnus, ad Zachariam de filio naſcendo vnus, cur hîc duo? non caret miſterio, uti coram Abraham tres Angeli comparuerunt, & vnum ille adorauit, agnouit enim eſſe Deum vnum & tres Perſonas, ita hîc non fruſtra factum, quod duo atten-

tenderint Angeli executioni ponentur ſex rationes. Prima, ad bonos vnus ſatis legatus, vt bonum afferat nuncium, ad malos duo, vt potenter puniant, & duriter tractent transgreſſores mandati; Secunda, pro culpa & pæna duo adſunt, vt diuiſa peccata, diuerſo modo & ſeparatim puniantur: Tertia, Offenſam Dei, & hominum ſimul duo Angeli vlciſcuntur, iniuriam vnus Dei, alter hominum, quia Deus homo fieri debuit. Quarta, in vtroq; teſtamento præuidit Deus ſubſecutura talia ſcelera, vnus ergo Angelus ab altero, exemplo informabatur, quomodo punire deberet ſimilia facinora: Quinta, Maſculi & fæminæ inuoluebantur hac libidine, ideo duos Angelos oportebat diuiſim caſtigare ſexus

diuersos. Sexta contra præceptum Dei & naturam committitur turpitudo, ideo duo Angeli vindices fæditatis. Redemptor autem vt satisfaceret iniuriæ diuinæ, contra naturam spinarum quæ in terra nascuntur, in Capite portare uoluit proprio, rore sanguinis aspergendo : Cauendum malum quod spinarum causa Christi est, & tantum amoris eius incendio æternum extinguitur incendium. Fortè etiam Abraham vltra numerum decimum nõ ausus fuit rogare, vt parceretur sodomitis, quia in lege scripta difficulter dimittebantur peccata ; In lege gratiæ solus saluator veniam impetrat, oportet tamen spinâ & sanguine pro medicina vti, vero dolore & mortificatione veniam obtinere. Verum & hoc mirandum,

dum, cùm Loth eductus esset coactus ab Angelis è Sodoma, Vxor eius quòd tantùm retro respexerit in salis statuam versa, quis scit an non curiositas in fæminis reprehensione digna? vel etiam si dubitauit an pæna sequeretur talis qualem prædicarunt Angeli, Vel si conuersationis præteritæ memoria subijt indigna pænæ æternæ, temporali tamen satisfecit. Quod autem in statuam salis conuersa fuerit, ideò forte, quòd salis statua sit apta omnibus bestijs, lambere cum gustu licet, hinc bestiale peccatum appellari potest sodomia: aut sicut sale condiuntur cibi, sic pro inferni stomacho alia peccata carnalia condiuntur hoc delicto eminenti: aut sicut sal nunquã putrescit, ita peccatum hoc nunquam

quam consumitur, sed ab vno
igne ad alium properat, iuxta
Psal: Dauidem. *Sicut oues in Infer-*
48. *no positi sunt: mors depascet eos*
& non consumet; comparauit
ouibus quæ multo sale indigent
& illo nutriuntur. O verè magnus clamor peccati huius, cùm
& Sanctus Bernardus dicat, *Sodomiticæ libidini Deum infensissimum esse*, Sola Passio
& Spinæ Christi sanare possunt. Ergo erepti à faucibus Inferni peccato huic obnoxij canãt triumphum Coronæ spineæ.

CAPVT XVII.
De Peccato Idololatriæ.

INuentor Idololatriæ Lucifer *Similis ero altißimo.* Ergo voluit esse Deus & adorari, quia vni Deo Idololatria nititur aufer-

ferre gloriam; non successit ars, itaque Adamo, idem & Euæ persuasit. *Eritis sicut Dij*, neque hoc factum, At quia filij hærædes fiunt & virtutum & vitiorum Parentum, sufflante Dæmone, semper de Dijs hominibus remansit desiderium, cùm ipsi non possent esse, alios homines pro Dijs colere cœperunt, & quidem omni nequitia infames, vnde apparet cuius instinctu id factum: Turris illa Babylonica ædificabatur vt quasi Deum ex coelo exturbare voluissent si potuissent. In triplici ergo differentia Idololatria perpetrabatur: Alij colebant Deos aureos, argenteos, solem, & similia: Alij homines scelestos, vt Iouem, Mercuriū, & reliquos: Alij ipsos Dæmones. Primum Idololatram ferunt

Guer: Ab. in die Purif: fol. 1922.

runt fuisse Nemrodum, qui finem aurei sæculi fecit, quod duobus millibus annorum durauit; Scriptura ergo Sacra de Nemrodo sic loquitur. *Ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator corã Domino.*
Gen: 10. Ob hoc exiuit Prouerbium: *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* hoc *Coram Dño* interpretantur Doctores *Contra Dominum.* Primus Idololatra, & primus tyrannicè cœpit dominari populis, vim afferens corporibus & violenter rapiens facultates, postea filius eius Bellus inuentor belli, ita vt cum Idololatria bellum simul cœperit esse, & rectè, nam quia homo rebellauit Deo, statim & feræ, & in feras immutati homines sibi inui-

uicem bellum indixêre: Quantitas autem Deorum innumerabilis fuit, Bruxellus Philosophus dum Romæ moreretur, vltima verba protulit. *Quemadmodum ducenta & octoginta millia Ciuium sunt Romæ, ita persuasissimũ habete, Deorum vobis ducẽta & octoginta millia à me relinqui.* Qualis confusio, & tamen deuoti fuerunt erga suos Deos, vt nobis pudorem exprimere possent in colendo vno vero DEO; quanto labore templa ædificarunt, quot sumptus in adorandis insumpserunt, quali reuerentia ad sua accedebant Idola; Inter alia Homerus in Iliade author est. Ægyptios vetustissimos, Reges suos Epiphanes cognominasse, & in more habuis-

In Hor. Princ.

buiſſe vt illi templa Deorum nudi pedes ſemper ingrederentur, aliàs ſi quis id non feciſſet Regno priuabatur. Ipſi ſibi vulnera infligebant ad ſanguinem, pretioſiſſima quæque offerebãt: Sed non tantùm Gentium immò Iudæorum quanta fuit dementia, licèt nouerant verum Deum, tamen Idololatriâ delectatos fuiſſe & chariſſima obtuliſſe: Exemplum eſt, cùm Aaron deterrere voluiſſet populum Iſràëliticum à vitulorum cultu, petijt ab eis inaures, putauit enim difficile eis futurum dare, atque adeò Vitulos ab eis hac causâ non exigendos, libenter tamen dederunt, ſed vero Deo nihil. Et nos Chriſtiani Idololatræ ſumus, vitium quod amamus pro Deo colimus, cum Cypriano, qui ait:

Exod: 32. S. Aguſ. ſup: Ex: diſ: 141.

Imi-

Imitantur Israëlitas qui luxuriæ, ludo, & vanitati vniuersam substantiam præstant, Deo verò in pauperibus nihil elargiuntur. Deus ergo cùm videret homines pro Dijs haberi, factus est homo, sed non tantùm non cultus, immò Spineâ Coronâ ad risum coronatus, nec pro Deo, nec pro Rege, nec pro bono homine, immò nec pro homine habitus; destruxit Idola tamen, & deleuit penitùs Idololatriam. Iam adoratur vbique Christus pro Deo, gestans Spineam Coronã, quæ confodit oppressitque falsos Deos, & cum inuentore Diabolo in centro terræ conclusit.

CAPVT XVIII.

De Peccato Ingratitudinis;

INgratitudinis vindictam nulla lex humana constituit, nec ipse DEVS in hac vita, Terribilis ingratitudo spinâ coronare Christum pro tantis beneficijs; infernus ergo vlcisci ingratos desiderat, aperit os vt tales deglutiat, Luciferum & comites absorpsit verbum, similis ero Altissimo, dissimilem sibi ipsi formauit, ex Lucifero Luciper vocatus ab ingratitudine; Parentes post peccatum absconderant sese, Compellit ad gratitudinē DEVS alloquio, vnus alteri culpam assignat: neq; post creationem gratitudo, neq; post delictum resipiscentia: Pulsi in mundum, vt beneficijs alliceret DEVS filium mi-

misit, qui triplici vinculo mortales ad gratitudinem invitaret dicens per Prophetam: *In funiculis Adam traham eos in vinculis Charitatis*, Tria sunt vincula, beneficium Creationis, Redemptionis, promissæ glorificationis, Creatio ad oculum, Redemptio & in ore & in corde versatur, glorificatio certificatur verbis Christi. Laban pro beneficijs laborum á Iacobo acceptis ingratus, sermone illius exprobrantis Seruitia & beneficia, *Viginti annis seruiui tibi, die noctuq; æstu vrgebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Placatus, ex inimico amicus factus. Saluator protestatur. *Quid vltra facere potui, & non feci?*

Oseæ 11.

Gen: 31.

& homines gratitudinis ergo Coronâ Spineâ cruciant, Cruce onerant, morte condemnant; Exhaurit thesauros beneficiorum Dei ingratitudo, nihil ergo magis exosum ingratitudine, cùm sit hostis gratiæ, & obstaculum Diuinæ influentiæ, saccus lacer ex quo eijciuntur collocata dona, loquor de hoc

De Ingr: cap: 114. vitio cum S. Berhardo. *Sola nos à profectu conuersationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputat dator, quod ingratus accepit, cauet sibi de cætero tanto plura ingrato conferre, & ideo clementia esse videtur ingratis negare quod postulant.* Deus tamen non negat, & quod magis ad halitum vltimum benefi-

neficijs, omnium satagit obruere ingratitudinem, cum Philosopho, *Non scribit in Calendario monstrata beneficia* in vita, post mortem ibi apparebit Calendariũ ingratitudinis. Iam ergo Spinam infixit Christus in fauces cerberi, nec patitur occludi infernum, hæret ita vt voluntate ingratitudinis viuens peccare possit homo, perire non possit. Quis ergo negabit triumphum spineæ Saluatoris Coronæ de Ingratitudine. Senec: de benef:

CAPVT XIX.
De Peccato Inobedientiæ.

ECce impressio Spinæ acutæ in Capite Christi ex inobedientia; Origo vti omnium malorum ita & huius vitij, Lucifer noluit DEO authori vitæ de-

deferre obedientiam, similis simili non obedit, cupiebat esse similis altissimo, inde inobedientiæ locus Infernus; Dejecit è cælo *Quis vt Deus?* illũ, qui non fuit DEVS sed DEI Creatura; Eadem inobedientia minori exilio mulctata in Paradiso, in mundum ejecti parentes, Quare? quia qui propriâ malitiâ peccat, maiorem meretur pœnam, qui seducitur ab alio minori vindicta dignus: semen est superbia inobedientiæ, nam humilis obedit, superbus dedignatur. Hinc CHRISTVS in mundo maluit vitam perdere; quàm inobediens esse Patri propter humilitatem; cùm nec pro homine agnosceretur & Barabbæ postponeretur, si causa sciri desideratur cur tanta obediẽtia in CHRISTO? Quia obedien-

dientia fuit cibus CHRISTI, ergo inobedientiæ portio venenum. Expertus Adam & Eva postquam degustarunt vetitum cibum per inobedientiam, tanquam si viperæ sanguinem suxissent, ad mortem condemnati vitæ innocentiam amiserunt, omnibus membris infecti, ita vt nec DEVM videre voluerint eos alloquentem, statimq; maledictio secuta, vt terra spinas produceret. Iam videndum quomodo satisfecerit Saluator DEO Patri pro inobedientia non tantùm primorum Parentum, sed nostrûm omnium, summâ obedientiâ; describit Paulus *CHRISTVS factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis*, Inobedientia, mortis occasionem dederat, obedientia vitæ & quidem æter- Phil: 2. v. 8.

næ:

næ: Inobedientia è ligno fru-
ctu gustato infecit genus hu-
manum; obedientia in ligno è
fructu ventris MARIAE egres-
sa restituit vigori & gratiæ Dei
amissæ, Ingratitudo peccauit
intellectu, voluntate, ore, ma-
nibus, pedibusque; obediẽt iare-
fecit pedibus & manibus clauis
affixis, voluntate cordis lan-
cea aperta, intellectu capite
spinis confixo, ore sumpto fel-
le & aceto, & sicut post inobe-
dientiã loco florum spinas ger-
minabát terra, ita obedientia
in capite Christi spinas produ-
cit, tanquam in terra veritatis
seminando, quæ versæ sunt in
lilia & rosas spirituales, dum in
claustris voto obedientia firma-
tur, dum Ecclesiæ alumni obe-
dientiam Pastori summo in lo-
co CHRISTI posito defferunt;
Chri-

CHRISTVS enim obediuit vt Corona ſpinea imponeretur inſcio Pilato ab inſolentia militum, quatenus omnes ad obedientiam invitaret, hinc fit vt clam multi obedientiæ ſe ſubmittant, ad tolleranda mala, & puncturas honoris, bonorum, tanquam imitatores Redemptoris Coronæ. Ergo devicta, ſuperata inobedientia & aculeus ſpinæ, ſtimulũ evertit auerni. Lamentetur hic, Io in æternum decantet Creatura ſpineæ Chriſti Coronæ.

CAPVT XX.

De Peccato malæ Interpretationis Dei Præceptorum.

TOrquet jam Spina Caput ſacroſanctum malæ interpretationis mandati, & in Paradiſo & Hæreticorum inuentione

erum-

erumpens: Omnia concessa in Paradiso nostris Parentibus, vna arbor vel potiùs fructus arboris prohibitus acerrimè his
Gen: 2. verbis *Ex omni ligno Paradisi comede de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis morte morieris*, Clarum præceptum, à serpentis tentatione mulier inducta ad interpretandum, addidit inane verbum.
Gen: 3. *Ne fortè moriamur* quis hoc forte invenit? Certè hoc fortè forte vulnus inflixit spina in Capite Christi, ita fit dum mulieres & Biblia legunt, & interpretantur, & Ecclesiam gubernare nituntur, vt nostro æuo in Anglia accidit. Hæreseos semina procedunt ex hoc verbulo Fortè, addunt, minuũt, mutant;

mu-

mutilant verba Sacræ ſcripturæ, cur hoc? vt comedant de ligno ſcientiæ boni & mali, mali ſpiritualiter, boni corporaliter; Ambitio, Carnalitas, Mammona, reputatio primi accubitûs, eſt apud reprobos ſcientiæ boni Arbor. Arbor ſcientiæ mali eſt, euerſio veræ fidei, Romani Põtificis authoritatis ſupremæ denegatio, bonorum operum, mortificationumque abolitio: Quid ergo Saluator, vt repararet & deleret interpretationem peruerſam mandatorum ſuorum, ipſemet tanquam verus Doctor, nil aliud in mundo operatus, niſi realem mandatorum aggreſſus interpretationem quod per Prophetam profitetur, *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem* Pſal: 39:

tem

*tem tuam Deus meus volui &
legem tuã in medio cordis mei*,
in corde & in capite ſcripta lex,
ſtylo ſpinarum, in medio cordis
aperto lanceâ. Triplex lex da-
ta à Deo, naturalis, legalis, E-
vangelica; in lege naturæ non
multi ſaluati, in lege legis plu-
res, in Evangelica plurimi. Qua-
re? Legislatores diverſi Adam,
Moyſes, Chriſtus: Infirmus Le-
gislator Primus Adam, quia cor-
ruperat omnis caro viam ſuam,
Secundus Legislator Moyſes, &
hic debilis in lege ſcripta, at-
tulerat primò tabulas lapideas,
quæ fractæ ſunt, poſtea ligneas
quæ abolitæ. Tertius Legiſla-
tor Chriſtus firmiſſimam legem
tulit, Prophetat de illa Dauid
Pſal: 9. & rogat vt detur, *Conſtitue
Domine legislatorem ſuper eos*

vt

vt sciant gentes quoniam homines sunt; firmauit Spineâ Coronâ immobili genuinam mandatorum explicationem, mandatũ enim Christi, *Mandatum est amoris*, secundùm Bernardum: hoc declarauit Dominus, erga Deum Patrem amorem, quem ut homo ex toto corde amauit, & ob conseruandam legem & restaurandam, mortem oppetijt: Amauit proximum cùm & inimicũ genus, homines sanguine effuso Deo conciliasset, & quia capite peruerso eluditur Præceptum Diuinum, propterea Corona Spinea in capite Christi roborauit veram obseruantiam mandatorum, hinc Paulus in conuersione c sua, ùm dixisset *Domine quid me vis facere?* Postea de-

De Paſſ: Dni.

In Act: Apoſt:

cla-

clarauit mandatum amoris, his
Rom. 8. verbis *Quis nos separabit à charitate Christi?* nec gladius illum, nec lapides Stephanum, nec ardens craticula Laurentium, nec Martyres varia tormenta poterant separare ab amore Christi; Quis ergo inhibebit cursum gloriæ Spineæ Coronæ? quæ cerebro Domini infixa, cerberi inuersiones malignas mandatorum contriuit.

CAPVT XXI.
De Peccato Transgressionis Mandatorum Dei.

FAcilè post prauam interpretationem transgressio mandati sequitur, nouâque Spinâ Caput Christi oneratur; Debuisset Adam & Eua pronunciasse ad Deum illud Dauidis,
con-

contra serpentem tentantem: *Narrauerunt mihi iniqui fa-* Ps: 118.
bulationes, sed non vt lex tua consenserunt potiùs, approbauerunt, comederunt de ligno vetito; sed quid successit? nuditatem agnouerunt propriam, ita vt Deus ipsis vestes fecerit, quas Scriptura describit: *Fecit quoque Dominus Deus* Gen: 3.
Adam & Vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Ipsi verò ante vt nuditatem operirēt, *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Quid in dicat? Fortè qui non seruant mandata Diuina, vestiunt se ficibus, quæ quidem dulces sunt, at breui marcescunt; id est, vel hîc doctrinam transgressorum interituram intellige ab Hære-

ſiarchis conſutam, vel pœnam æternam, in qua dulcedo amaritudine ſuperabitur. Pelliceæ tunicæ ſunt induendæ, quas puto ex ouibus factas; Omnis tranſgreſſor legis, eſt leo, lupus, bos; leonem nominat S Petrus Diabolum, qui circuit quem deuoret, ille prodromus & maximus tranſgreſſor. Lupus rapax, Paulus ante conuerſionem fuit, & tranſgreſſor perſecutione, vti explicatur à S. Augu- Ser: 14. de Sanc:
ſtino, Bos Nabuchodonozor, tranſgreſſor ſuperbiâ. Reparari tranſgreſſio non potuit niſi pelle ouinâ; Iacob protectis pelle manibus ſupplantauit Eſau, prærepta Patris benedictione; Chriſtus tanquam ouis ad victimam ductus reſtituit tranſgreſſoribus gratiam cœleſtem: Figura fuit Oblationis

Chri-

Christi pro peccatoribus in Isaac, quem cùm ex mandato Dei Pater immolare constituisset: prohibitus ab Angelo, *Vidit post tergum arietem inter vepres cornibus hærentem.* Gen: 22.
Aries cornua habens inter vepres & spinas, Saluator; superinduit Diuinitati, humanitatis pelliceam vestem; cornua duo habuit, Diuinitatem carne velatam, & potentiam plusquam humanam, pupugit hostem, sed inter vepres & Spinas Caput eius hæsit vsque ad mortem; & sic transgressoribus veniam impetrauit, primo verbo: *Pater, dimitte illis quia nesciunt quid faciunt.* Luc: 23.
Ira Patris puncturam æternam transgressoribus destinauerat, misericordia Filij puncturâ spineâ absol-

uit à reatu, id aſſecutus Regius Pſaltes, cùm exclamat dicens : *Viam mandatorum tuorũ cucurri, cum dilataſti cor meum.* Pſ. 118. ℣. 32. Quo dilatatum, niſi vulneribus Chriſti in toto corpore, & aculeis Spineis in Capite? Dilatatur enim tripliciter tranſgreſſio mandati, vel ſolius malitiâ hominis, qui ſibi diſpenſat & latum extendit campum peccandi; vel cum altero fit tranſgreſſio, ac cũ ſocio culpæ dilatatur facinus, vel palàm falſa doctrina & tranſgreſſio publicatur, & diffunditur delictum fuſiùs. Chriſtus vt ad cuſtodiam mandatorum & reditum inuitaret, & priuatim in prætorio comparuit Spineâ ornatus Coronâ, & cum ſocio Pilato, videndum ſe præbuit Spinis cruentum, & in patibulum

Cru-

Crucis euectus, Spineam Coronam in Capite omnibus videntibus non dimisit. Hac deuicit transgressores, immò plurimos ex illis zelantes pro conseruandis mandatis Diuinis effecit. Fugite syluestres Bestiæ, Agnus vicit inter vepres & spinas in ligno detentus. Triumphet ergo meritò Spinea Christi Corona.

CAPVT XXII.

De Peccato Ebrietatis.

MIrum quod post diluuium Noë invenerit vinum, & eo fuerit inebriatus. Post absumptionẽ igne sodomæ, Loth etiam ebrius factus; & secundum Cor Dei homines antiqui excesserunt crapulâ, Certùm ergo si pijs hominibus nocuit ebrietas, quid non nocebit im-

Prouer: 20. ℣. 1. pijs? Salomon asserit *Luxuriosa res est vinum & tumultuosa ebrietas*, Noë bibit vinum, & virilia quæ per sexcentos annos celauerat, nudauit; Loth cum filiabus incestum comisit, & non sensit se peccasse, quia alienatus à seipso fuit. Similis ebrius est pisci marino, Græcis dicitur Onos id est latinè Asinus, cuius cor est in ventre, congruit S. Pauli dictam *Quorum Deus venter est & gloria in confusione eorum*, in eo enim ebrij gloriam suam collocant, quod hominibus confusio est. Nihil turpius ebrio, qui peior est bestiâ, ac in vitijs imitator earum, ideò irridetur, & ipse postea se accusat postquā egessit potum. Romani adeò ab ebrietate abhorrebant, ut subactos.

Phil: 3. ℣. 19.

actos. Sarmatas, per conuiuium vino apposito à L. Pio Cõsule recipere eorum pacta, cum illis sancita noluerint, & loco præmij & triumphi quod consul sperauerat publicé securi percussus pœnas luit, Sarmatisque responsum per literas, illos fide absoluere publicâ Romanos statuisse. Verùm quanta mala Ebrietas creat? tum quia infida custos secretorum, vti vinum euomit, sic secreta commissa, vt etiam prouerbium creuerit, Puerum & Ebrium non posse celare secretũ, Tum quod transmutatur in alium quàm æstimatur; fit sobrius parcus in dicendo, ebrius, linguâ vt rotâ girat, sit pudicus, cum Nòè, denudat se & alios, sit castus, facilè fit adulter, sit doctus, celat doctrinam, & stul-

In Hor: Princ.

ſtultus apparet, ſit cautus, omnia communicat & detegit, imò vt cum S. Bernardo dicam *Multi per vinum à Dæmonibus capti ſunt nec eſt aliud ebrietas, quàm manifeſtiſſimus Dæmon.* Et Ælianus ait *Simius & Elephas ſi vinum biberent, hic ſui roboris obliuiſceretur, ille verſutiæ.* Quod damna publica & priuata vini nimij cauſa ſecuta; quot exercitus deleti: id ſententia Senecæ *Ebrietas publica acerrimas gentes & bellicoſas hoſti tradidit.* Venit ergo Chriſtus & alterum obtulit vinum. *In quo non eſt luxuria*, in Cana Galilææ convertit aquam in vinum, ſignificando eſſe quaſi aquam vinũ mundi reſpectu vini quòd

De Ebrietate ſer. 25. lib. 2.

Epiſt. 84.

Epheſ. 5.

Domi-

Dominus è cellario cæli attulit & inuitat. *Bibite & inebriamini charißimi*, ipse vt alter Nöé inuentor huius vineæ inebriatus nudauit se, quem irridebant Iudæi progenies Cham, Nos imitatores duorum filiorum Catholici, operiamus compassione & fletu nuditatem. Vinum ergo optimũ scilicet sanguinem ex latere dilutum aquâ ad vltimum seruauit dum clamando sitio illud vinum intellexit, nam fel & acetum gustauit tantúm, reliquum nobis reliquit amaritudinis vt sapidiùs appareret nobis vinum ex sanguine SacroSancto præparatum, hoc nos potat, & ne euaporet, spinis densissimis contexit. Itaque duplex est vinum, vnum quod impij cum iucunditate hîc viuendo hauriunt, verum

Cant. 5. ℣. 1.

rum in Inferno in amaritudinem fellis postea conuerso, non cessabunt in æternum à misero potu: Contrario, inuitati à Saluatore Electi bibunt iam in vita aliquando acetum tribulationum, sed immissæ Spinæ Christi, ita temperant acrimoniam vt in cælo suauissimo liquore in æuũ perfundi possint.

CAPVT XXIII.
De Peccato Detractionis Famæ.

LIngua ad Creatorem laudandum creata, statim in Paradiso aberrauit, nam & cum Diabolo locuta est, & limites protraxit præcepti Domini, ita vt terra corrupta spinas produceret. Sic lingua iam frequenter vti spina pungit proximum, quid dico? ipsum etiam Deum!

S. Ber-

S. Bernardus de detractoribus ſic loquitur : *Importantibus linguis aliorum perditionis vi-rus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt.* sup:Cát: ſer: 24.

Odio ſummo proſecutus eſt Dauid dectratores. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar* Et Apoſtolus Paulus *Detractores Deo odibiles* aſ-ſerit. Pſ: 100. ad Rom: 1. ℣. 30.

Detractores aliorum dictis, factis, diligenter attendunt, ſua negligunt, nunquam enim (vt cum S. Bernardo dicam) alijs detraxiſſent, ſi ſeipſos benè inſpexiſſent : præcipuè tamen Rex pœnitens inuehitur in detractores ferè toto Pſalmo, & pœnas conſtituit, ſic enim ait : *Deus laudem meam ne tacueris, quia os pec-* Pſ: 108.

ca-

catoris & os dolosi super me apertum est. Tanta est maleuolentia detractoris, vt nemo possit mederi nisi Deus, apertũ semper est os, omni occasione, omni loco, omni tempore quærit modum quo possit detrahere; Et sicut Infernus semper apertus est vt deuoret, sic lingua detractoris, quid ampliùs dicam? peior Inferno, nam hic tantùm peccatores, impios, damnatos deuorat; os detractoris nemini parcit, nulli sexui, nulli conditioni, est ibi Rex, Papa, Dominus, amicus, inimicus, bonus, malus, Religiosus, Parens, Mater, filius, quin & ipse Deus: vt lapis molaris assiduè rotatur, & iam illum iam alterum comminuit in honore & fama: Restitutio grauis insufficiens, volat enim vt

auis

auis per aéra, & quis reditum nouit? coram vno & altero fortè reuocat, quot sunt quos conuocare nequit? Deus antequam homo fieret, multa à lingua humana passus, verùm plura cùm Homo pro nobis factus est, quàm stupenda pertulit, Vorax, potator, appellatus; demum post mortem seductoris nomen accepit, ideo Psalmista dicit: *Deus laudem meā ne tacueris*, loquere pro me, resiste detractoribus, claude os dolosi rodentis famam, restituere enim illam solùm tu potes; Et inferiùs: *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius.* Si promiscuè peccator supra stabit, vt conculcet honorem aliorū, tu elige illi locum, at vbi?

Ps. 108. ℣. 1.

non-

nonnè dextra semper est honoratior sinistrâ? Itaque sit in dextra Diabolus tanquam melior illo, & detractor à sinistris stet, non sedeat, quia nunquam quiescit à detractione, semper est paratus. Deus vt Homo audiuit verba detractoria, maximè in ligno Crucis Spineâ Coronâ oneratus, Spinasq; duplices sensit; instruendo, non esse remediū accuratius quàm ex Spinis Christi solatium quærere in detractione, Si enim Rex noster Coronâ Spineâ insignitus, modestissimè tulit ora detractoria; nos qui membra sumus, & sub Corona hac militamus, reflexo intellectu fortiter contemnamus os dolosū; veniet tempus in quo non tacebit Deus laudem nostræ patientiæ, potiùs reportabimus au-

aurеam Coronam, detractores verò in perpetuis ſpinis ab orco, aperto ore excepti, à dextris Dæmones tortores habentes, in ſumma confuſione volutabuntur.

CAPVT XXIV.
De Peccato Iniuſtitiæ.

QVæ in homine ſunt attributa & accidentia, in Deo eſt eſſentia, inter alia opera Dei excellunt Miſericordia & Iuſtitia. Hic in mundo regnat Dei miſericordia, cui nemo repugnat immò agnoſcit lætatur eâ conſecutâ: Iuſtitia Dei impugnatur, contrariâ iniuſtitiâ. In cælo eſt Iuſtitia, in Inferno executio Iuſtitiæ, in hac vita utrũque apparet, & Iuſtitia & Iniuſtitia, & fortè hæc poſterior præualet, dura videtur diuina

Iustitia hominibus impijs, & quod magis tanquam de Iniustitia conqueruntur, crassius autem aberrant quando suas Iniustitias colore iustitiæ vestiunt. Ergo qui iniustitiam sequitur merè contra Deum insurgit Psalmus dicit. *Iustus es*
Psal. 118. *Domine & rectum iudicium tuum*, & ille cogitat, & murmurat, non es iustus Domine, nec rectum iudicium tuum, sed meum; non frustra ponitur à
Psal. 84. Dauide *Iustitia de cælo prospexit*; ad quid? vt videat quomodo tractetur Iustitia in mundo & quando agnoscit Iniustitiam dominari claudit ianuam, vt illis virginibus fatuis, & Iustitiâ suâ punit; sic cum Sodomam cogitabat Deus delere di-
Gen. 18. xit. *Descendam & videbo*

vtrũ

vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, ân non est ita vt sciam. Et cum Abrahamo consilium habuit, & tum clausit ianuam misericordiæ, ac igne Iustitiæ iniustitias cremauit. In multis rebus iniustitia committitur; præcipuè in Iudicijs, confirmat S. Bernardus *Hîc* (id est in mundo) *includitur iniustitia in marsupio*, id verissimum est, quot decreta non lex sed aurum format? vnde prouerbium, *melior est fauor in Iudice quam lex in codice*, at vnde fauor? persuadente marsupio. Dignum consideratione Isaiæ dictum. *Erit iustitia cingulũ laborum eius*, quod quidem ad Deum ille applicat, verum tamen quia

Serm ad Cler.

Isai. 11. v. 5.

Iudi-

Iudices homines gerunt in iudicio perſonam Dei, ipſis etiam id conuenire debet, ſed quid Iuſtitiæ cum cingulo? Multùm admodùm; cingulo ſi ſe præcingit quis, ut dextrè circumambiat, nihil imponere debet, ſi enim marſupium alligabit, ſtatim demittet cingulum, & deprimet partem illius, ſi gladio vel bombardâ ſe accinget, & eleuabitur & diſtortè cinget, ſi manum imponet, ſtatim inflectet partem cinguli, itaque Iuſtitia non comparabitur cingulo ſecundùm Prophetam, ſi aut auaritia, aut vindicta, aut reſpectus aliquis præſidebit, ideò in Euangelio monet Chriſtus,
Lucæ 12. *ſint lumbi veſtri præcincti.* Iuſtitiâ, charitate, nam concupiſcentia ex lumbis oritur, qui ergo abſque cingulo ſe veſtiet,

ſtiet, iniuſtitijs onerabitur, & abſque timore DEI tanquam Orbus iudicabit vti quando tenebræ erant in Ægypto, Ægyptij nil viderunt, filij Iſraël videbant lucem, ſic injuſti iudices vident aurum, Iuſtitiam non vident, Iniuſtitias Iuſtitias appellant, Iudas in tradendo Christo marſupium intuebatur, facinus non vidit, poſtea tamen faſſus *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*, injuſtè traditus Saluator, iniuſtè condemnatus, iniuſtè Spinis coronatus: verè ergo Spineam coronã imponit Domino iniuſtè iudicans, veniet dies in qua vti dicit. *Deus iuſtitias iudicabit*, æternis tum ſpinis decreta iniuſta addicendo, præcinget enim ſe fortitudine, & iuſtitia erit cin-

Exod. 10 & 11.

Matth. 27.

Pſal. 74.

gulum lumborum eius, non flectetur auro, nec aliquo respectu, immò Spinas furoris sui emittet in Iudices iniquos.

CAPVT XXV.

De Peccato Rapinæ.

SI Respublicæ aliquæ Legislatori Christo adhærerent, & eius Constitutiones custodirent, quàm felices essent, nam omnia haberent communia vt dicit S. Lucas. *Cor credentium erat vnum & anima vna*; omnia quieta essent, nullæ rapinæ, nullæ violentiæ; sed cùm non inueniatur talis Cõstitutio Reipublicæ, potiùs contra præcepta diuina, peccata in omnibus ferè Rebuspublicis committuntur. Vt occurreret DEVS rapinis, in Decalogo posuit.

In Act. Apost. cap. 2.

Non

Non concupiſces rem alienam, Exod. 20
& numerando aliqua addit. *Nec omnia quæ illius ſunt*, Ah Bone IESV quomodo inultæ relinquuntur tot rapinæ? variæ autem ſunt. Alij vt Domini & Reges præſumptione, poteſtate rapiunt vt habeant, vſurpantque illud. *Dominus his* Matth. 12.
opus habet, videre eſt in Achab, cui magis placuit vinea Naboth quàm tot poſſeſſiones Regni. Ad magis intelligendum, ſcire oportet, duos oculos homini datos externos, qui ſimiles ſibi, ſunt ergo ſpeculatiui & practici Oculi & in bonum & in malum, ſpeculatiuus oculus dat facultatem benè & malè operandi, Practicus verò ad opus inclinat, dicens hoc & hoc nunc agendum eſt, ſiue per ſe impel-

litur, siue ab alio persuadetur: Achab speculatiuo oculo vidit vineam Naboth, successit Practicus oculus ab Iezabel incitatus qui non tantùm ad accipiendum verùm ad occidendum deduxit opus. Dauid vidit lauantem Bethsabeæ oculo speculatiuo, Practico, & accepit in vxorem & Vriam maritum interfici iussit: alij vti prædatores vel ex penuria, aut vt crapulæ & ludis abundãtiùs indulgeant, rapiunt in itineribus, & spoliant varios & substantiâ aliquando & vitâ. Quid enim non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente ceruicibus prodiderunt homines quidquid sibi vnde viuerent reseruabant, quis non continuò prodidit ne percuteretur, & post proditionem

S. August. in Tract. 49 in Ioan.

for-

fortasse percussus est? Quis non vt continuò viueret prodere voluit vnde viueret, eligens magis vitam mendicantē, quàm celerem mortem, Alij transeuntes per viam in hospitio consumunt victualia & non solūnt, nisi fustuariâ ve l querceâ monetâ, vt videre est si alicubi, certè in Polonia. alij sub specie militiæ putant sibi omnia licere, & Ecclesiæ, & rusticorum bona, sua reputant, emungentes eos vsque ad sanguinē, ac ita transmutantur magis quàm Proteus in alios, nam vix albo martis dant nomina, & iam alius incessus, alia vestis, alia vox alia deuotio, alia occupatio, alia mens, alia lingua. Nemo tamen rapinam magis expertus, quàm Saluator noster, omnia ablata ei sunt, vestes, honor,

Initi-

in itinere ad Caluariæ montem, iterum spoliatus, & cruce oneratus, Corpus flagellis, Spinis, clauis perforatū, demum mors subsecuta; vestes verò militibus cesserunt qui instrumenta erant passionis Christi; Dominus ergo aliam rapinam commendauit dicens *vim patitur*
Matth. 11 *Regnum cælorum & violenti rapiunt illud*, per Spinas videlicet tribulationum, vti Electi faciunt in mundo. Primus raptor violentus Redemptor maxima vi rapuit & aperuit cælū, verùm sub Spinea Corona in Cruce, ibique Catalogum raptorum bonorum Atramento Sanguinis, & calamis clauium & Spinarum conscripsit. Qui ergo in Calendario esse desiderat Dei, si raptor malus est imitetur latronem bonum, hîc fuit
refor-

reformator & fundator malè rapientium, si bonus raptor sequatur Christum & eius spinas, aliàs cedent in prædam mali raptores rapacibus coruis in æuum.

CAPVT XXVI.
De Peccato Furti.

DIfferentia inter rapinas est hæc & furta. Quòd raptor palàm accipit, fur clam, raptor etiam de die, fur noctu, Raptor non curat si videatur, & linguas corrigentes contemnit, Fur, ne videatur cauet, & linguas detegentes fugit; Verùm vti Raptorum sunt & Tyrannorum pascua Subditi & pauperes, & rustici, ita Raptores & Tyranni sunt pascua Dæmonum; similiter fures defraudantes miseros, pascua sunt inferni

ferni: Cum verò nullum vitium ſit quod vel defenſorem, vel moderatorem, vel interpretem colore ſpecioſo non habeat, furtum ſæpè defenditur, & moderatur pænâ leui, & interpretationẽ riſu dignam admittit, cum fures ſe vocant cuſtodes rerum malè poſitarum, vel auiculas, quæ non ſeminãt, & metunt aliena; immò conceditur furtum propoſitâ mercede, à Rectoribus Ciuitatum maximè in nundinis, ſed ſi executio ſequitur, cum furibus, fit, vt maximi fures minimos afficiant ſupplicio, & ipſi immunes maneant; Talibus Dæmon carnifex relinquitur. Sunt verò duplices fures, alij de quibus diximus, qui ſubſtantiâ alleuiant alios non rogati, iocoque tantùm dominij mutationem fur-

furto ſubſequi fatentur: Alij ſunt fures animarum; Comparat Saluator duplicibus furibus, vel illis qui fodiunt domum noctu, & admonet dicendo: *Vigilate.* Vel qui non per oſtium, verùm per feneſtram intrant, & ſunt fures & latrones, vti Diabolus, qui vel per ſuggeſtiones & cogitationes prauas, dona Dei aufert ab anima, vel per ſenſus qui ſunt feneſtræ, intrat, & tollit quod à Deo homo accepit, contemptũ videlicet rerum caducarum: Contingit etiam aliquando vt per oſtium intret inimicus per negligentiam animæ. Oſtium eſt cor hominis, vti in Canticis: *Vox dilecti mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea amica mea.* Cant. 5. ℣. 2.
Dæmon idem facit, pulſat etiã

& vult

& vult ingredi, nam vterque & Deus & Diabolus Cor hominis vſurpare contendit, & nihil ſe habere putat donec illud acquirat, & expugnet. vnde illud
Pſal. 44. Pſalmi: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis*; id eſt, Sagittas ſuas acutas Deus in cor iaculatur inimicorum, & eos expugnat & ad ſe trahit, petitque.
Prou. 23. ℣. 29. *Præbe fili mi cor tuum mihi*, dicendo. Similiter Sagittas ſuas venenatas in cor hominis Satan dirigit. In Iuda manifeſtè apparuit. Quid non fecit Chriſtus vt emolliret Iudæ cor, & ſibi tributarium redderet? nihil profuit, quare? dat cauſam S. Ioannes.
Ioan. 13. ℣. 2. *Cùm iam diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas*, occupauit illud,

& quod

& quod magis mirandũ. Cùm intinctum panem illi porrigeret Dominus, *Post buccellam* ℣. 27.
introiuit in eum Satanas, quia cor dispositum inferno inuenit, & non tam Iudas vendidit triginta argenteis Christum, quin potiùs Dæmon ipsius cor illâ pecuniâ lucratus est. Vidit tot signa Iudas & miracula nihil profuit, corde empto à Cacodæmone. Latro bonus vidit despectum, nudum, moribundum Deum, quia cor aptauerat inuenitque dispositum Saluator dixit illi *Hodie mecum eris in* Lucæ
paradiso, Diabolus fur maximus 23.
abstulit cor Iudæ, Christus laudabili furto cor latronis occupauit, & nunc cum S. Augustino, multi ex patibulo in Paradisum eunt, & faciliùs quàm è lecto. Consuetudo est

pro

pro furibus maximè in hortis ponere ferrum & ſpinas circùm vt offendantur, & retineantur fures. Id ipſum Chriſtus fecit Spinis in Capite, in manibus & pedibus, clauis circumegit hortos animarum; plurimi ergo fures merito Spinarum Domini & clauorum conuertuntur, & euadunt patibula Orci. Benedictæ ſint ergo Spinæ Chriſti.

CAPVT XXVII.
De Peccato Sacrilegij.

ASCendit furtum altiùs, ſi quis res Deo dicatas, conſecratas non tantùm tangat, ſed vel clam vel palam accipiat, ac in vſum proprium commutet, templum diruat, ſacrificia vel impediat, vel tollat. Ingens ſcelus, ideò Eccleſia vt talia prohiberet, res ſacras Lai-

cis

cis nec tangi permisit; si aliquis res Regias ad vsum compararas auferret, quo supplicio dignus iudicaretur? Quid ergo cùm DEO vasa dicata audet manibus sacrilegis tractare & ea sibi vendicare; Tripliciter accidit subreptio sacrarum rerum, vel per fures qui noctu diripiunt ornamenta Ecclesiæ, vel per milites qui vel ipsi idem faciunt, vel exactionibus nimijs cogunt alienare supellectilem domus Dei, vel Hæretici qui edocti à suis Magistris pro zelo computant, si aurum & argentum Dei dilapidare possint, immò iocantur, vti non longo abhinc tempore, cùm Rex Gustauus aureos Apostolos Herbipoli reperiisset, dixit Catholicos contra Dei præceptum fecisse, qui Apostolos conclusissent, diuisis itaque in frusta mi-

litibus, aiebat Ite in vniuersum Orbem: Verùm potest aliquis obijcere, cur Deus permittit sibi eripi quæ eius sunt propria? Propter peccata nostra id accidit, cùm enim nobis non parcat, & in opprobrium dat inimicorum Regna Catholica, personas etiam religiosas, ne nos conquereremur, permittit Deus ut & templa & bona ipsius expilentur, si enim filio suo Domino nostro non pepercit propter delicta nostra non parcet nec Ecclesijs nec ornamentis, multò minùs nobis qui id meruimus. Patriarcha Sacrilegij fuit Iudas, pecuniâ Christi necessitatibus suis prospiciebat testimonio Diui Ioannis, loculos enim habebat, vnguentum quo Christus ante Passionem fuit inunctus vendere volebat, tandem ipsum Deum tradidit, ideò

non merebatur veniam tanquã ſacrilegus, in pœnam manibus ijſdem, quibus ſacrilegium commiſſum eſt ſe ſuſpendit, ita vt viſcera effluerent ob horrorem exceſſus. Balthaſar Rex conuiuium fecerat, non vnum antea forté, at quia tum vaſa aurea & argentea, quæ aſportauerat Pater eius Nabuchodonozor de templo in Hieruſalem, protulit, & bibebat cum optimatibus vinum, apparuit manus in pariete, quia manibus illicitis tangebat vaſa, & ea nocte ſupplicium ſecutum, Nabuchodonozor autem licet abſtulerat illa non punitus, vel quia in pœnam Iudæorũ Deus conceſſit, vel quod illis nõ vſus fuerat præ aliqua reuerẽtia. Si enim prouẽtus Eccleſiæ ipſimet Sacerdotes, vel effundere vel aliquo modo frugillis nõ poſſint, niſi ex lege præ- Daniel. 5.

ſcripta ; quid illi dicent qui audent dona & bona Dei ſibi attribuere? De Sacerdotibus eadem eſt S. Bernardi opinio,

De Reſur: Dñi.

Bona quæ habet Eccleſia pauperum ſunt, bona verò ſacerdotum vita æterna, ſi ergò ea quæ debentur pauperibus aliquis in ſuos vſus cõvertit vitã æternã quæ ſibi propria eſt amittit. ſacrilegium deteſtando Redẽptor permiſit ſibi omnia adimi, nudus in cruce pependit, à ſacrilegis Iudæis omni re ſpoliatus, & quia Rex fuit, cùm auream Coronam illi debitam abſtuliſſent, & Romano Imperatori obtuliſſent, illis verbis *Non habemus Regẽ niſi Cæſarẽ,* Impoſuerunt ſacrilegi Capiti Domini Spineam Coronam, quæ omnes aureas & manus ſacrile-

crilegorum, conteret. Coronam verò propriam & Electorum Spineám auro immortalitatis includet.

CAPVT XXVIII.
De Peccato Possessionis Bonorum Ecclesiæ.

CVm Deus totum mundum creauerit, nonne potuisset sibi & Ecclesiæ vniuersum subijcere & reditus applicare, noluit, sicut & festos dies omnes celebrare si iussisset, id ei liberum foret, verùm vnum diem in veteri testamento sabbathum coli jussit, in nouo diem Dominicũ vt alijs diebus iuxta feriarũ appellationẽ homines liberi essent pro labore negotijsq́; perficiẽdis. Quod cõcessit Deus ex nimia liberalitate sua, & vt operaretur homo, vtereturq́; prædijs

fundis, diuitijs sibi concessis, Hinc Psalmista *Meus est orbis* Psa.49
terræ & plenitudo eius, sed distribuit inter homines vt fructus sibi facerent, DEVS verò minimam partem sibi reseruauit & illud voluit çum merito mortalium fieri, nullus Rex est qui daret Ciuitates, Oppida alijs, sibi verò exiguam relinqueret particulã. Quid ergo petit Deus à nobis, nimirum vt ei aliquid concedamus, vel pauperibus, vel sponsæ eius Ecclesiæ ornandæ, Ornamenta autem sunt, fundationes, decimæ, Eleemosynæ, vasa Ecclesiæ & supellex, hæc danda sunt Deo, & his delectatur & mercedem Regnum cælorum præparauit; si ergo quis aufert, quod Deo datum est, & expilat Ecclesias, pauperes cogit fame

mori

mori; qualem vindictam à Deo experietur? Dicet aliquis in decalogo non est positum de tali peccato quidquam, de proximi bonis sancitum est, de Dei & Ecclesiæ nihil: Respondetur, Multis annis non fuisse legem contra Parricidas, quia nemo cogitare ausus tam ingratos fore filios, vt à quibus vitam acceperint, eis adimere facto velint, at cùm id acciderat, tum lex constituta; Ideò in decalogo non est expresse de ablatione bonorum Deo consecratorum, implicite tamen est. *Non habebis Deos alienos coram me*, tollere rem alienam est vniuersali lege prohibitum, si ergo Diuina res accipiatur quisquis talis est, non putat esse Deũ in cælo, cum insipientibus dicit in corde *Non est Deus*, Exod. 20

vti verbi gratia ſi quis auaritiam pro Deo colat, hîc nihili Deum reputat, Deus verò etiã per miracula oſtendit, quàm grauiter offendatur, ſi illi dona data auferantur, vt in Diuo Staniſlao, qui in teſtimonium veritatis bonorũ pro Eccleſia emptorum, triennio defunctum Piotrouinum in iudicium adduxit: & S. Fridolinus fundatorẽ Cænobij Sæckingẽſis Vrſum nomine poſt mortem è ſepulchro ad audiendum decretum euocauit: ſi Dauidem Deus puniuit ideõ quòd Vriæ vxorem ſibi appropriauit, quæ pæna manet qui hæreditatem Chriſti ſibi applicant? Hinc tot Hæreſes, præcipuè Lutherana, quæ conceſſit primo Duci Saxoniæ, bonaEccleſiæ vſurpare; dilatata eſt hæc licentia progreſſaque & in

in alias Orbis partes, vnde fit ut cùm Deo donata transferuntur in priuata commoda, Deus viciſſim Regna & Prouincias puniat, & alterius Dominio tradat. In Polonia ante multos annos deteſtanda lex ſtetit, quâ fundationes meliorandæ prohibentur, nouæ niſi ex conſenſu omnium (quod difficile eſt) conceduntur, viciſſim immiſit Deus bella, quibus bona nobilium direpta, deuaſtata ſunt. In Gallia ferè ad multa millia Eccleſiarum ab Hæreticis tempore Caroli Noni in prædam ceſſere. In alijs Prouincijs ſpinæ, tribuli agreſtes ſyluæ producuntur vbi antea templa fuerant. Propterea ergo quia caput Eccleſiæ eſt Chriſtus & ſpõſus in proprio capite ſpinas ſibi poni permiſit, oſtendendo deteſta-

testationem, ex bonis suæ sponsæ occupatis, dolens deflorationem sponsæ, ornatur spinâ lugubri, sed & illi vsurpatores, in æternis spinis ardebunt & non comburentur; Vt ergo reddant accepta bona Ecclesiæ, iniqui mortales doleant, & spinis contritionis ausum deplorent, certò his veniam impetrabit Corona Spinea Christi, quæ auferre vult spolia Inferni.

CAPVT XXIX.
De Peccato Desperationis.

VAlde mirandum quod multos desperatione de DEI misericordia capiat Dæmon, cùm nihil magis apparuit & in Creatione & Redemptione in Deo quàm misericordia, Rex
Psal. 58. Psalmista dicit, *Deus meus mise-*

misericordia mea. Nam assumpta carne humana saluator, licet in essentia ipsa sit misericordia, tamen humanè loquendo misericordiam discere voluit, ac propterea miserias nostras homo factus suscepit, vt misereri posset edoctus experientiâ miseriarum; non superant peccata misericordiã Dei etiam grauissima totius mundi, quia passione sua Redemptor pondus eorum sustulit, idem affirmat Propheta. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus velut lana alba erunt,* videlicet sanguine Christi; verùm cùm sanguis sit rubei coloris, quomodo erunt alba vti in Apocalipsi legitur: *Lauerunt* In cap. Apoc. 7.

stolas

ſtolas ſuas & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Quomodo in ſanguine rubro lotæ, candidæ ſtolæ eſſe poſsũt? Certiſſimè quia ſanguine macula peccati deletur & ſanguis bis decoctus lac candidum efficitur ſecundùm Philoſophos, lac eſt ſanguis bis coctus. Sanguis ergo Chriſti bis coctus & Charitate Dei & proximi factus eſt lac candidum: Omnis deſperatio ſumat prototypon è Maria Magdalena peccatrice, in qua ſeptẽ dæmonia erant, & tamen è maxima peccatrice facta eſt piſcatrix maxima, retia enim ex capillis tetendit, mare ex lacrymis prodijt, & ſic illis Margaritam nobiliſſimã Domini ſcilicet miſericordiam & abſolutionem cepit, Dauid ut omnino deſperationem effugeret pronun-

tiauit. *Quoniã tu singulariter in spe constituisti me* & alibi. *Si consurgat aduersum me præliũ in hoc*, Id est Deo: *Ego sperabo.* Adulterium coniunxit cum homicidio, certè prælium desperationis commisit cum dæmone & vno verbo *Peccaui* superauit, utq; omnẽ accessum desperationis abscinderet in vno Psalmo quinquies non tantum sperat sed supersperat Quater loquitur. *In verbis tuis supersperaui.* & semel, *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaq; quia in iudicijs tuis supersperaui.* Si ergo quis credit in vita semper, & sperat in verbis Dei à Propheta prolatis, certò in iudicio etiam quando comparebit, coram Iudice super

Psal. 26.
Psal. 4.
Reg. 2.
Psal. 118.

ſuperſperabit. In paſſione ſua Dominus Noſter oſtendit bis, & deſperationem cauendam, & ſpem veniæ habendam, Petrus & Iudas peccauit, ille ſperans fletu culpam deleuit, hic deſperans crepuit medius, Vnus latrò deſperans perijt, alter ſperando ſaluatus eſt, & illo die Paradiſum conſecutus. Quicunq; ergo deſperationis tentatione liber eſſe cupit accedat ad vulnera Chriſti, brachia ſunt extenſa clauis, quemlibet admittet Corona ſpinea, euellet neſcio quæ peccata ex corde deplorato, & quò vicinior quis Coronæ ſpineæ eò citius merebitur veniam. Ecce Dominus in Cruce pendens quia propior fuit latro Coronæ ſpineæ, priùs illum quàm Matrem allocutus eſt: Timet ſpinam Chriſti inimicus

animæ

animæ, ideò misericordiam dũ peccat homo, extollit, post peccatum minuit & Iustitiæ rigorem proponit, vt in Cain contigit dum occidisset Abel, & Deus illi maledixisset. Infernus composuit orationem: *Maior est iniquitas mea quàm ut veniam merear* Nondum fuit Corona spinea in Christo, iam diuersum canit Dominus per Psalmistam, *Multa flagella peccatoris sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Corona scilicet spinea remanente, residentia desperationis in abysso Inferni.

Gen. 4.

Psal. 31.

CAPVT XXX.
De Peccato Hypocrisis.

O Si quis calculo notare possit Hypocritas hac mundi

ætate quàm Xerxes maiorem exercitum numeraret: Aula est nutrix talium; quid dico? vtinam domus priuatæ etiam Sacratæ immunes essent à tali delicto, Saluator noster dicebat: *Attendite â fermento Pharisæorum, quod est Hypocrisis.* Sicut enim fermentum corrumpit massam cum qua commiscetur, ita Hypocrisis bona opera & actiones maculat. Egregiè S. Petrus Rauen: describit Hypocrisim. *Hypocrisis subtile malum secretum virus, virtutum fucus, tinea sanctitatis, Hypocrisis suâ æmulatione arte crudeli virtutes detruncat mucrone vitiorum, ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordia mise-*

Lucæ 17.

miserationem prosternit, Hypocrisis cognata febri, frigido poculo propinat ardorem. Est consuetudo, si quis Rex nollit esse agnitus aliam assumit vestem simplicem, quâ purpuram tegat, non agnoscitur facilè, nisi quis fimbriam attendat vestimenti, aliquando eminet vltra purpuræ lineam, sic Hypocrisis operit se veste alienâ, at in fine ad summum vitæ detegitur fucus. Dominus noster in Euangelio dum de Iudicio dissereret vltimo, Enumerat bona opera quæ iusti viuentes fecerunt, & iniusti quæ non fecerunt, & vtrique affirmant se fecisse, non enim mendacium afferrent coram Deo, & tamen damnat illos, quia fortè simulatè id fecerunt, ideò non placitæ

Matth. 25.

citæ

ta fuerunt illorum opera.
)ui verò sunt authores Hypocrisis? Certè tres sunt: Caro, Mundus, Dæmon. Caro imaginem quandam solidæ & diu duraturæ vitæ assumit, quâ facilè mortalium spem prolectat & fallit. Contrarium Regius
Psal. 38. Vates probat: *In imagine pertransit homo.* quod sic explicat S. Augustinus: *Citò transit corporaliter imagine speculi, quæ citò euanescit.* Mundus non minori laborat Hypocrisi; cùm enim leuior plumâ, aquâ mobilior, vento inconstantior, ita faciem suam exterminat & immutat, vt immobilem & firmam bonorum formam hominibus ostendat. Aptè Seneca.
Epist. 110 *Miramur parietes tenui marmore inductos, cùm sciamus*

quale

quale sit quod absconditur, oculis nostris imponimus, & cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Dæmon etiam pollet Hypocrisi, finxit se in Paradiso Consiliarium, & sic primi hominis oculorũ aciem perstrinxit, vt cùm Diuinitatem se per illum accepisse credidit, immortalitatem amisit. Pulchrè S. Gregorius. *Diabolus bonis latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit, nã honestatis prætextu se palliat, vt mala quæ eis apertè non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat.* Christus extirpator Hypocrysis

Lib. 33. Moral. 18.

dicebat: *Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non*. Et fecit, dum in Cruce nudus appenſus Spineâ Coronâ pupugit Hypocritas, quæ arundine in Capite percutiebatur, hoc faciunt Hypocritæ, qui (vt Dominus aiebat de S. Ioanne, non fuiſſe arundinem vento agitatam) vento quæſtus vel adulationis mouentur, & mouere alios faciunt, aderit rubus ſpinarum in Inferno, qui vret & non comburet. Remedium ergo in Corona Spinea Christi Hypocritarum, iam ſpinis deteſtationis ſemetipſos crucient, vt rubum inferni euadant, verùm ſincerè, non ſint imitatores Oſculi Iudæ, qui Rabbi Magiſtrũ Chriſtum appellauit & ſimul tradidit.

CAPVT XXXI.
De Peccato Scandali.

CVm Deus permittat mala propter bonū; vt illud eliciat inde, de nullo tamen ita apertè dixit vt de ſcandalo *Neceſſe eſt ut veniãt ſcandala.* Et poſtea addit pænã: *verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit,* & vult ac imperat, ut ſcandaloſus demergatur in profundum maris, quare hæc & non alia pæna? Grauitas delicti poſtulat. Deus vniuerſaliter puniuit, & punit adhuc per aquam & ignem, Diluuio in mundi principio ſuſtulit vniuerſam carnem, eandem torquebit in Inferno igne. Scandalum indiſparem ſubibit diſciplinam, hîc in aqua maris

Matth: 18.

ſubmergi debet, in altera vita gehenna vlciſcetur tale ſcelus, vbique ſcandala reperiuntur, idcirco Vates conqueritur: *Funes extenderũt in laqueum,*
Pſal: 189. *iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Vita noſtra eſt via, eſt iter quo properamus ad vitam, itaque laquei funibus ſcãdalorum ſunt parati, difficulter quis euadit: Potiſſimum tamen ex ſeptem fontibus erumpit Scandalum; Vel ex auaritia, vt Iudas ſcandalizatus eſt, dum Magdalena vnxit vnguento Iesvm murmurat cupiditate,
Matth: 26. dicens: *Ut quid perditio hæc?* poſtea ſe ſuſpendit. Chriſtus vt tolleret ſcandalum Auaritiæ, nudus pependit, & pro aurea Spineam aſſumpſit Coronam. Vel ex præſumptione, vt Petrus,

trus, dixit enim: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquã scandalizabor.* Christus vt auferret præsumptionis scandalum, *Respexit Petrum*, & ad fletum induxit, cum Propheta protestans: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Vel ex pulchritudine corporis, quo alios scandalizat, vti Absalom, cuius cæsaries tondebatur semel in anno, & ponderabat ducentos siclos, postea ijsdem capillis quasi funibus suspensus est; Christus vt redderet contemptibilem mundi pulchritudinem, Spineâ Coronâ capillos totondit, & à Pilato deformis ostensus cum voce, *Ecce homo*, quasi minimè homo. Vel ex dolore, vt malus Latro scandalum sumpsit ex pœna

Matth: 26.

Luc: 7.

2 Reg: c. 16.

Luc:23. Domini: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.* non dignatus est Saluator respondere, alter Latro tanquã Cancellarius eius replicabat di-
Ibid: ctum, reprehendens: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es*, vt dedignationem ostenderet Christus, secundùm multorum opinionem, auertit faciem à malo Latrone, & tergum SpineæCoronæ quasi vltricis reliquit aspiciendum. Vel ex inuidia, vt filij prodigi natu maior frater allocutus est
Luc: 15. Patrem: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam dedisti mihi hædũ, vt cum amicis meis epularer sed postquã filius tuus, hic qui deuorauit substantiam suã cum meretricibus, venit, occi-*

di-

disti illi vitulum saginatum. Christus vt mederetur scandalo inuidiæ, omnia tradidit, etiā vestes & matrem dilectissimam Ioanni pronunciās, *Ecce Mater tua*, sub Spineæ Coronæ pondere laborans. Vel ex ebrietate, vti in Nòé accidit, qui cùm ebrius nudatus esset in tabernaculo suo, Cham videndo nudata verenda Patris, nuntiauit fratribus suis irridendo, at maledictionem ideo Patris accepit. Christus vt scandalum Ebrietatis eliminaret, ebrius Charitate nudauit se, & Spineæ Coronæ aculeos passus, dum irrideretur à filijs, id est Synagoga, qui clamabant: *Salua temetipsum, si Filius Dei es, descende de Cruce.* Vicissim vocem emisit Christus, *Sitio.*

Gen: 9.

Matth: 27.

Sed

ſed quem potum Domine ſitis? in primo verbo declarauit ad Patrem: *Dimitte, non enim ſciunt quid faciunt*, non maledixit vt Nòé. Vel ex contemptu, vti in ipſa Chriſti paſſione apertè apparet, ſecũdùm
1 Cor: 1. Paulũ: *Nos prædicamus Chriſtum Crucifixum, Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam.* Dominus ſuſtulit ſcandalum, doctrinâ reprehendendò illud:
Matth: 18. *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis.* Ergo à minori ad maius argumentum fecit, id eſt, nec de me ſcandalum ſumite, nam puſillorum Angeli vident faciem Patris mei, & ego creaui Angelos. Qualis ergo erit medicina ſcandali? Dauid optimè agnouit illam, dicens:

Pax

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalũ. Psal. 118.
Passio, Cruci affixio, Spineæ Coronæ impositio in Capite Christi, hæc dant pacem, hæc tollunt scandala; Spinæ Christi contriuerunt scandala, & florẽt florebuntque æternâ pace mortalibus conciliata.

CAPVT XXXII.
De Peccato Blasphemiæ.

AFfinitas stricta scandali cũ blasphemia, quæ puto supra omnia peccata, est abominabils coram Deo, si rusticus Regẽ blasphemaret qualis atrocitas pænæ subsequeretur, at dum vnus puluis, vermiculus, linguam contra Deum euomit quanta audacia? quibus tormentis satisfiet honori Dei, Deiparæ, & Sanctis, qui omnes tuen-

tuentur & zelant Creatoris honorem Dauid cùm interfecisset Vriam, & vxorem eius sibi copulasset enixa erat illa puerum masculum quem vnicè diligebat, Nathan exprobrando scelus inter alia hoc dixit. *Verùmtamen quoniã blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbũ hoc filius qui natus est tibi morte morietur,*
2 Reg: 12.
tantùm quòd causam dederat blasphemandi secuta vindicta, quid fiet cùm quis linguâ propriâ insurgit inDeum? latro bonus in Cruce quantam gratiam consecutus in puncto mortis post ingentia patrata scelera, non alia causa, sola hæc, quia à blasphemia & socy & Iudæorum defendit Christum, socium corripiendo, & Iudæis declarando

Do-

Dominum fuiſſe innocentem, nam Regem & Deum inde agnouerat? bene S. Aug: alloquitur illum. *Dic ò latro ubi thronus ex ſapphiro ubi Cherubim & exercitus cæli? Vbi Corona, ſceptrum, & purpura ut eum dicas Regem cœli? Vides nè Coronam aliam quàm clauos, aliam purpuram quàm Sanguinem, alium thronum quàm Crucem, alios miniſtros quàm Carnifices? Quid ergo Regium vides?* Defenſio à blaſphemia aperuit oculos eius, Fides enim lynceos oculos habet, & vidit Regnum & eo die illo potitus eſt. Lingua blaſphemi eſt Infernus ante Infernum, eſt ſepulchrum fœtidum, vermis corrodens conſcientiã, Ser: 130.

eſt

eſt cadaver teterrimum odorem usque ad cælum emittens, eſt cauſa auerſionis viſcerum Dei absque miſericordia, eſt deniq; cantilena damnatorum, diſcipula, imò tempore potiùs magiſtra: Blaſphematur autem varijs cauſis impellentibus. Sex tantùm conſideratione dignæ ſunt, Prima, Ex malitia mera, vti Chriſto accidit, dum enim accusaretur à Phariſæis, interrogat Pilatus; *Quid mali fecit.*
Matth: 27. Ecce Blaſphema reſponſio, *Crucifigatur.* Secunda, ex odio expertus Chriſtus dicens,
Ioan:15. *Odio habuerunt me gratis*, Et cùm de cauſa vellet ſcire Præſes ſic reſponſum. *Si non eſſet hic malefactor non tibi tradidiſſemus eum.* Tertia, ex deſperatione, & Chriſtus excepit ictum
Ioan:18.
ta-

talem, cùm omnes causas quæsiuissent Iudæi vt interficerent, dicebant: *Quid faciemus quia hic multa signa facit*, Desperarunt iam de sua Synagoga & blasphemo ore miraculorũ occasione Domini ad perdendum eum sunt vsi. Quarta, ex vindicta cùm iam crucifixissent Christũ & lacerassẽt corpus flagellis, clauis, & spinis, clamabãt *Vah qui destruis Templum Dei?* Quinta, ex inuidia cùm Christus à Pontifice interrogatus esset, si esset Christus filius Dei, respondit se esse, & venturum ad iudicium, inuidebat illi & negabat Pontifex dicens *Blasphemauit* at Echo in cælo aliud auditum, Pontifex Blasphemauit. Sexta, ex timore timebant Pontifices, ne si omnes crederent

Ioan: 11.

Mar: 15.

Matth. 26.

rent

rent in Christum nemo templum defenderet, & dicebant.
Ioan:11. *Venient Romani & tollent gentem nostram & locum*, ideò de destruendo tẽplo eum accusarunt, & blasphemijs in illum insurrexerunt; adhuc etiã post mortem Domini, timendo ne resurgeret, seductoris nomen imposuerunt. Vlciscetur Deus blasphemos, sagittis confodiet, vti perMoysen promittit
Deut:32. ℣. 42. *Inebriabo sagittas meas Sanguine & gladius meus deuorabit carnes.* Sagittæ habent & lignum & ferrum, ferrum ex clauis, ipsas sagittas ex spinis conficiet in vindictam Christus in judicio extremo, gladius quoque ex lanceæ ferro deuorabit carnes blasphemantium. Remedium restat blasphemis,

vt

Vt nunc in vita abscondant se contriti latentes inter spinas Saluatoris, aliâs in perpetuas devoluentur cùm similibus impijs blasphemias.

CAPVT XXXIII.

De Peccato Periurii, & Falsi Iuramenti.

ETiam peccatum Periurij falsique Iuramenti non vnam Spinam apposuit Coronæ Christi, dum plurimùm duo præcepta violat Decalogi, in vanum Domini Dei nomen assumendo, & falsum testimonium contra proximum producendo. Omnia officia, dignitates, omnisq; ferè status est juramento obnoxius, & sæpè fit, vt quis juret verbis se facturum quod promittit, & postea re in periurium vertitur juramentum, si

enim verè jurare, eſt DEVM adorare, ergo peierare eſt Deum blaſphemare; ſi ſecundùm Prouerbium Iuris, Iuramentum eſt finis litium, ergo periurium erit initium pænæ inferni Hoc agnoſcet qui in iuramento benè ponderat, quod ſæpè inſinuet ſe ſimul periurium. Princeps gubernacula adeundo jurat ſubditis quæ ſunt iuranda, ſubditi vice verſa Domino. In ſtatu matrimoniali Coniuges viciſſim vinculo juramenti colligantur. In ſtatu Sacerdotali & religioſo, vota juramento ſolidantur. In iudicijs decreta Iuramento roborantur. In adeptione bonorum conſeruanda, juramenta admittunt poſſeſſorem. In Electionibus officiorum juramenta præcedũt vſurpationem. Ah bone Ieſu quot

vio-

violationes in his omnibus juramentorum, dum ex Iuramento peccatum periurij elicitur? Nescio an nouum genus Iuramenti vel potiùs palliatæ falsitatis sit alibi quàm in Polonia, vbi cum testibus juramenta decretis feruntur, adstant Nobiles, parati jurare proprijs juramentis, ibi suos Principales non examinant, an justa sit causa, an verúm juramentum non trutinant, tantùm interrogãt quantùm pecuniæ soluetur illis pro Iuramento, & tamen tecto iustitiæ nomine dicunt se velle assistere sanctæ justitiæ defensioni, adiutoresque se justitiæ appellant, si quis ergo falsa juramenta calculare vellet, oppri-meret eum labor. Alij Calculo nigro Cacodæmonis diligenter inscribunt numerũ per-

iu-

iurij falſique iuramenti, quòd in illo libro ex quo mũdus iudicabitur in vltimo die apparebit & vniuscuiuſque periurij falſitas in agone adſtabit oculis; ſed Periuria & falſitates iuramentorum etiam hîc puniuntur. Eligius Baſſeus quatuor pænas ponit Periurij. Prima eſt Infamia, vtroque iure tam Pontificio quàm Cæſareo decreta. Secunda pœna periurij, quæ Ciuili pœna punitur criminis ſtellionatus, & ideo periurus ad tempus exulat. Tertia Periurium ſimplex priuato homini iniuriam & præiudicium irrogans, iure Pontificio pœna depoſitionis ab ordine punitur, ſi Clericus ſit; quod ſi falſum teſtimonium dixerit, detruditur in Monaſterium, ſi laicus ſit qui flaſum teſtimonium aduerſus

reum

reum dixerit, vt ipse reus eidē ille pœnæ subiacet si Capitale Crimen: Si non, tunc pæna falsi in homine libero assignabitur, quæ est deportatio, omnium bonorum publicatio; in seruo autem vltimum supplicium. Quarta, Periurus debet priuari beneficio quod habet: quid fiet in altero sæculo? Qua ratione delictum tale torquebitur? Sed & Sanctis accidit labi in hoc peccatum, vt in S. Petro videre est, qui ad ignem ab ancilla interrogatus Christum negauit iuramento addito, licet Christus admonuerit his verbis: *Antequam gallus bis cantet, ter me negabis.* Posset oriri quæstio, quare bis oportebat gallū cantasse? Forte sicut gallus ordinariè priusquam cantet duabus alis percutit pectus, &

Matth: 26.

postea canit, ſic quando delinquit quis peccato periurij vel falſi teſtimonij, debet percutere pectus dolore vehementi, & auſterâ pœnitentiâ. Redemptor viſo falſo Iuramento, *Reſpexit Petrum*, aſpectus eius
Luc: 22.
ad fletum commouit oculos Petri, efficacia id fecit Paſſionis Chriſti, nam antea in veteri Teſtamento rogabant potiùs Deū vt auerteret faciem à peccatis,
Pſ: 50.
quod & Dauid orat: *Auerte faciem à peccatis meis.* Paſſio verò Domini conuertendo faciem ſanat peccata. Percutiebat idē Rex pœnitens latera bis, & dixit: *Tibi ſoli peccaui.* Et iterū: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Quod cùm Pſalmo Quinquageſimo inſonuiſſet, tandem Pſalmo Centeſi-

ſimo decimo octauo incipit can tare cum gallo: *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* S. verò Petrus cantum in cœlum reſeruauit, hic enim aſſiduò deflebat culpam admiſſam. Christus ergo cùm viſu Petrum ad Contritionem adduxiſſet, Columnam in qua gallus cantabat adhibuit ſuæ Paſſioni, eamque ſanguine tinxit, tum & Spinas Capiti impoſuit, ſecutus tandem cantus in Reſurrectione Domini: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt.*

CAPVT XXXIV.

De Peccato Lectionis Librorum Prohibitorum.

MAxima & iucunda eſt occupatio, Lectio Librorum, nã libri ſunt muti magiſtri, ſunt teſtes factorum præteriti temporis, ſunt reſuſcitatores mortuorum operum, ſunt ut ita dicam retentores immortalitatis humanæ, ſunt veri reprehenſores vitiorum, laudatores virtutum, ſunt ſoli qui vera dicunt etiam magnatibus, quos vox offendere veretur litera verò non erubeſcit; ſunt inſtructores vel veræ vel falſæ fidei; Ideò Mater Eccleſia conſiderando imbecillitatem ingenii humani decreuit ne libri prohibiti legantur, absq; conſenſu ſuperiorum. Diuerſæ fidei contrariò omnibus permittunt, etiam fæminis, inde errores, inde interpretationes proprii Capitis, inde auctio Hæreſeos; perſuadent enim le-

ctio-

ctionem aduersarij bibliorum & aliorum librorum, vt promptiùs capiantur hamo falsitatis, supponunt escam sacram scripturam, & postea aculeum addunt quo incauti decipiantur. Non tantùm erroneos libros verùm & profanos legere cælum improbauit, duo exempla tantùm depromam, vnum S. Hieronymi, dum enim seculares libros reuolueret, euocatus ad Tribunal diuinum in somnis, quis sit rogatur Respondet Christianum se esse: negat Iudex, Ciceronianum esse dictitans, non Christianum; simulque mendacij conuictum cædi tam diu imperat Iudex, donec vitæ emendationem Hieronymus, cælites vadimonium spondent, & certè ampliùs quid fuisse, quàm somnium sparsæ passim per

per omne Corpus plagæ loquebantur. Narratur etiam de B. Cæſario: Quidquid flores aut fragmenta legis. inter Poëtarum porrigunt vireta, Cauere oportet, latet anguis certe in herba. Indormiuit Cæſarius in ſerpentis amplexibus, non Æſculapius erat hîc, ſed Apollo, profanus inquam codex cui nocte quandoque invigilabat ille, cùm precibus debuiſſet; In ſomnis oſtendit cælum, ſerpentis non libri volumina eſſe quibus incumberet; Quare euigilans manibus excuſſit. Cauenda ergo Lectio mala & perniciosa; ioco dicitur, meliùs eſt otiari quàm nihil agere, ego puto meliùs otiari quàm mala legere, omnis id ſexus attendat & ætas. In libris prohibitis oſtenditur pratum amænum, Latent tribu-

buli & Spinæ, quæ conſcientiam ſauciant & tranſuerberant, ſæpiùs etiam æterna occidunt morte: Pluribus exitio fuit Librorum, talium lectio; Varij autem ſunt libri prohibiti, Hæreticorum, videlicet Aſtrologiæ Iudiciariæ, Thalmudi, Cabaliſtici, Magicæ artis, & alij nefarij libri, quos legere & penes ſe retinere nemini licet, ſub peccato mortali, & alijs pænis de quibus Clemens VIII. conſtitut 20 & nouiſſimè Vrbanus VIII. Etiam alij interdicuntur libri licet propter Hæreſim vel eius ſuſpicionem non ſint prohibiti ſiue Hæreſiarcharum libri de materia planè indifferenti aut moraliter bona tractantes, qui ob perſonarum abominationem prohibentur, vt ſunt libri materias inhoneſtas, per-

per-

perniciosas, scandalosas, aut malè sonantes in materia morum & virtutis continentes, omnes prorsus sunt interdicti. Passio Christi est verè liber nemini prohibitus, sunt ibi Spinæ at in Capite Christi quæ Spinas scandalosas exterminant: legendus certè sanctus hic liber, qui acuit intellectum ad concipiendos dolores ad satisfactionem pro peccatis, ad lacrymas gratitudinis reddendas. Prohibiti verò libri vti hîc in spinas errorum protrudunt curiosos, sic in æternas deducent à morte Spinas.

CAPVT XXXV.
De Peccato Hæresis.

CHristus venit in mundum vt tolleret Idololatriam, cum fremitu Inferni, & sustulit,

lit, vix alicubi auditur de Idolis, Euangelio succidit tanquam gladio spirituali adorationem Idolorum. Quid ergo Dæmon? aliud inuenit medium, vt Evangelio ipso & armis Christi oppugnaret veram doctrinam. Dominus in Euangelio vocat se Patremfamilias qui seminat. *Exiit qui seminat seminare semen suum*; Venit inimicus & superseminauit Zizania, non agnoscitur nisi cùm exit de terra, prohibetur euelli vsq; ad messem, secundùm illud *Oportet & Hæreses esse vt qui probati sunt manifesti fiant*. Pinguis terra, facilè (si non diligenter; excolatur) producit Zizania Car o & ambitio sunt excultores Hæreseos, quid pinguius & sapidius, quàm non ieiunare, non mor-

Luc: 8.

1 Cor: 11.

mortificare concupiſcentias, nõ pati iniurias, viuere & comedere & ſtatim in cœlos transferri, quàm ſuaue iucundũ, ſi verum? Eccleſiaſtica bona ſibi vſurpare, iucundos dies in voluptatibus tranſigere, ſolaque fide ſaluari, quid feliciùs? Aduertit ille qui dixit: *Dic nobis placentia & audiemus te.* & S. Paulus Pru-
2 Tim: 4. rientes auribus magiſtros futuros agnouit. Ambitio & illa parit Hæreſes, videri ab alijs, magni æſtimari, honorari, Rabbi vocari, quàm magnificum apparet; Verùm hoc dolendum, quod ſimul cum Euangelio Hæreſes inchoarunt; Iudas primus & anteſignanus Hæreticorum & Hæreſiarcharum, cùm in Horto ſalutaſſet oſculo
Matth: 26. IESVM, protulit, *Aue Rabbi*,

Ma-

Magistrũ appellat, ex doctrina ipsius Christi, & tradit in mortem inimicis; ita Hæresiarchæ ex sacra Scriptura verba sumũt & animas occidunt. Vltimus Hæresiarcha Antichristus erit, falsa omnia dicet, & Euangeliũ non verbis sed re euertet: Intermediæ Hæreses obruunt essentiam Euangelij, tempore S. Pauli iam semina iacta errorũ, cùm enim Discipulis valedixisset discedens Romam; prophetauit his verbis: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Quod factũ; nam Nicolaitæ, & alij, tum & Arrius prodijt, & sic progenie Act.20:

vipe-

viperinâ ad noſtra tempora procreatæ Hæreſes durant, quæ & corporibus & animabus inferunt bellum, inde ſeges Martyrum, coacta religio, inde exilia, inde deſtructiones Regnorum, euerſiones Eccleſiarum, direptiones patrimonij Chriſti; nam Hæreſim ita definit S. Thomas: *Hæreſis eſt error intellectus voluntarius, cum pertinacia, contra aliquam fidei veritatem.* Tria ergo requiruntur, vt quis Hæreticus dicatur. Primò, vt ſubiectum ſit capax criminis Hæreſis, quæ eſt negatio fidei ſuſceptæ per Baptiſmum. Secundò, vt errorem habeat in intellectu circa fidẽ. Tertiò, vt ſit pertinax in ſuo errore; Talis fuit Arrius, qui veſtem lacerauit Chriſti, vt ipſe ap-

2. 2. q. 11. ar. 2

ex Baſſ:

apparens B. Petro Alexandrino intimauit. Vestis est Vnitas Ecclesiæ Redemptoris, quam spinarum aculeis, dogmatum videlicet, lacerant Hæreses, & veritatẽ Euangelij immutare curant, ac à Capite Christi auellunt membra, pro quibus lucrandis Spineâ Coronâ Caput eius fuit vulneratum, sentient postea spinas æternas eo maiori vulnere, quò plures suo exemplo doctrinâque separârunt à luce Euangelij.

CAPVT XXXVI.
De Peccato Falsariorum, & Fraude.

DEfinitio Falsarij est: Committens crimen falsi: quod consistit in peruersitate veritatis cùm dolo & alterius iactura. Tria verò ad hoc crimen requirun-

Baſſ: runtur. Primò eſt veritatis immutatio, Secundò dolus operantis, Tertiò vt alteri damnum inde proueniat: In Christi Paſſione prima conditio planè palamque apparuit, videlicet veritatis immutatio; omnia falſa adducta. Iudas falſarius pecuniam quæ pro re emptitia iuſta fuit in vſu, rem inæſtimabilē Dominum vendidit, & quidem ipſe falſitatem faſſus dicens

Matth: 27. *Peccaui tradēs ſanguinē iuſtū.* Iudæi falſarij, nam falſos teſtes contra Meſſiam ſtatuerūt, hinc

Mar: 14 Euangeliſta. *Non erat conueniens teſtimonium illorum*, Pilatus falſitatem commiſit lauando manus, & iniuſtè Dominum condemnando, falſò etiam Barabbas Chriſto Prælatus, falſò Regis Titulus & Coronatio Spineâ Coronâ ſecuta; Et falſum

ſum decretum, immò etiam poſt mortem falſa dicere militibus de Reſurrectiòne Redemptoris peccuniâ corruptis còégerunt: Secunda conditio Dolus operationis, inuentus eſt in Paſſione Chriſti, aduertit dolum S. Auguſtinus, dum quaſi noluiſſent nec prætorium ingredi nec condemnare Sacerdôtes & Phariſæi Dominũ dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam.* & tamen blaſphemis linguis clamabant, Crucifige, craſſus certè dolus. Tertia Conditio vt maximum damnum alteri proueniat. Si cui maius quàm Domino noſtro illatum damnum; in honore, in pudore, in nimia flagellatione, in inaudita Coronatione, in veſtibus, in vita, cùm turpiſſima morte eam finiuerit: Si ergo

Christo falsitas nocuit, quid nõ faciet membris eius ad consummationem seculi? Falsarij sunt ad instar piscatorum, hamo sub specie cibi capiunt incautos pisces; De talibus S. Ambrosius: *Talia eorum sunt argumenta*, (videlicet qui sunt fraudulenti) *hi ingenium suum sæpè commutant, & diuersas nocendi artes mouent, vt qui eos audiunt aut vident, incautâ facilitate se credant, eoq; citius labuntur dum distinguere non nouerunt.* Et subdit. *Et ideo cauendi sunt, qui crines suæ fraudis, & brachia longe lateq; dispergunt, vel speciem induunt multiformem.* Et supra idem Sanctus: *Fraudulentum ingenium non præ-*

l.1.Hex. c.8.

præteribo, qui vadoso in littore petram nactus affigitur ei, atq; eius nebuloso ingenio colorem subit, & simili specie terga obductus, plurimos piscium sine vlla suspicione fraudis allapsos, dum nota præualent, & saxum opinantur cassibus furtiuæ artis includit, & sinu quodam suæ carnis intercipit. Ingens falsariorum & fraudulentorum numerus, alij monetam falsam cudunt, alij scripta & priuilegia falsificant, alij consilio falso securos opprimunt & expilant: Ideò Saluator inter falsitates quæ instar spinarum aculeis lædunt proximos, spinis onerari Caput voluit, falsitatis delictum, compensando, reuera falsitates sunt spinæ mundi, per-

forant vſque ad medullas in honore & ſubſtantia multos. Medicina eſt in Spinis Chriſti, neque enim decet delicata eſſe membra, & nihil pati ſub Capite Spinoſo, falſitates condemnabuntur in die Iudicij, veritas verò Domini & Victoria Coronæ Spineæ manebit in æternum.

CAPVT XXXVII.
De Peccato Tutoriæ.

TVtor omnium ſupremus Deus, *Viduam & pupillum ſuſcipiet*, Mater Dei Vocatur in Litanijs *Adiutrix Orphanorũ*, tamen vt homines pupilli, homines tutores haberent, Voluit & lege cauit, partim ob meritum ipſorum tutorum, partim ob defenſionem hæreditatis, quia Homo Homini Deus, verùm

rùm fortè in tutoria sit vt dicatur, Homo Homini Lupus; S. Paulus ad Galat. de paruulo hærede sic loquitur.: *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfixum tempus à Patre.* De Tutoribus contrarium scribi potest: Tutor quamdiu tutelam gerit nihil differt ab hærede cùm sit Dominus omnium, ac pro libitu gubernat vsque ad maturitatem hæredis, quem sæpè non dimittit à tutela, nisi omnia accepta condonentur. Tutela est triplex de Iure; Naturalis, Testamentaria, Datiua. Iam verò videmus, esse vnam solam Tutoriam acceptiuam, omnes rapiunt tanqnam proprijs Gal: 4.

bonis abutantur, quod magis etiam sæpiùs largiùs tanquam non suis, hinc in historia scribitur de quodam Vsurario, qui cùm ante mortem resipuisset, ac omnia reddi à quibus acceperat vsuram iussisset, tum & quatuor Tutores testamento legasset, Dæmon frustratus spe animæ cùm piè decessisset, Lucifero conqueri cœpit ereptam sibi prædam, quam in inferno collocandam censuerat; cùm Lucifer interrogasset, an testamentum & tutores nominasset, illo respondente quatuor assignatos, replicuit, benè est, loco enim vnius, quatuor habebimus animas, nam executio testamenti peribit negligentiâ tutorum. Magnum est onus tutela, & sicut ingens præmium illis, qui non proprijs sed pu-

pilli commodis intendunt, sic pœna non exigua qui abutuntur licentiâ sibi commissâ, cùm Tutor ex eadem culpa teneatur, quâ negotiorum gestor prouidere sibi commisso hæredi, nempè ne ex dolo, negligentia, pupillus patiatur detrimentum; Proponit quidam author, ad tria teneri tutorem; Bass. Primò, vt conseruet pupillos intactos à criminibus, & illos bonis moribus imbuat, assignetque præceptoribus stipendium, iuxta quantitatem patrimonij & qualitatem hæredis; Secundò, vt res eius præseruet ab iniuria, vnde dicti sunt tutores quasi tuitores; Tertiò, quòd pecuniam eorum, vel bona mobilia, quæ ad nihilum valent, si seruentur, conuertant in prædia, ex quibus fructus percipi po-

poteſt, vno verbo definitionem tutelæ, Tutor præ oculis habere debet, quæ eſt talis: *Tutela eſt ius & poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem ſuam ſponte ſe tueri nequit, à iure Ciuili data ac permiſſa.* Bone Deus, quàm pauci ſunt qui re ipſa tutelæ oneri ſatisfaciant. Narratur de quodam Eremita, qui cùm in ſpiritu raptus eſſet ad cœlum, vidit conclauia varia Sanctorum, videlicet Martyrũ, Confeſſorum, Virginum, Doctorum, Religioſorum, omnia plena erant, intrauit vnum, in quo ſolum S. Ioannem Euangeliſtam reperit, ſciſcitatur ab Angelo, cur vnicus Sanctus tantùm degeret, iuſſus ab Angelo vt ſubſcriptionem Cameræ le-

geret, vidit ſcriptum, PRO TVTORIBVS; tum Angelus ſubiecit, illum ſolum tutorem in cœlo eſſe, neque ad hoc tempus ſocium acquirere potuiſſe. Sola tutela felix, quæ ſub Spinea Corona in Cruce datur, ſic extat in ſcriptura, cùm tradidiſſet Chriſtus Matri in filium & tutorem S. Ioannem, appoſuit: *Et ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua*, licèt pauper, tamen egeſtate prouidit Matri victum; Tales debent eſſe Tutores. Ergo etiam Tutores Spinas ingerunt Capiti Chriſti mali. Cauete Tutores, ne vos ſpinæ conſumant æternæ, confugite ad Redemptorem, ſatisfacite pupillis in damno, & Spinam ex Capite Chriſti eximetis.

CAPVT XXXVIII.

De Peccato Vſurpationis alienorum bonorum.

POſt creationem Angelorum & poſt delictum, Luciferi & eius aſſeclarum, creauit Deus terram ſecundum aliquorum ſententiam, itaq; non poterant mitti rebelles niſi in infernũ, Parentes autem cum & minori peccato obnoxij fuiſſent, nam Dæmones à propria voluntate inducti rebellarunt contra Deum, parentes perſuaſione ſerpentis callidi decepti mandatum exceſſerant diuinum, cùm & ex terra creati eſſent, & terra creata ante fuerat, eò in exilium miſſi ſunt, inde amor hominis erga terram, Deus maledicendo edixit *In ſudore vultus* Gen. 3. *tui veſceris pane donec reuer-*

ta-

taris in terram de qua sumptus es, quia puluis es & in puluerē reuerteris. Homo verò vertit aliter, ac aliorũ labore pascitur non suo, immò non tantũ labore, sed etiam sanguine, antequam reuertatur in terram de qua assumptus est, multā terram occupat vi alienam, & sic deprauata voluntas, quæ satietatem Paradisi amisit, cogitat vt ambitu terræ appetitum compenset. Quid aliud erant, sunt, & erunt bellatores mundi, Alexandri Iulij, Annibales, nisi vsurpatores rerum & bonorum alienorum? Ita vt prouerbio dicatur; *Ius Regum in armis esse*, Arma, confinia statuunt, arma iudicant inter meum & tuum, quod vocat frigidum verbum S. Ioan: Chrisost, quidquid malorum est, in vitam nostram Tom:3.

in.

inuehens, innummeraq; gignẽs bella; inde S. August. ait supra illa verba Psalmistæ. *Introibunt in inferiora terræ*. Explicando: *Omnis qui contra salutem suam cupit terrena, sub terra est, quia terram sibi præposuit*, quasi terram super se posuit & se subiecit, Assentitur Iob dicens;

Iob. 40. v. 8. *Absconde eos in puluere simul.* Et rectè comparauit quidam hominem mysticum mundum quatuor Elementis mundi.

S. Ant. Padu. *Terra est auaritia, aqua est luxuria, Aër est in constantia, ignis est superbia*. Hæc sunt Elementa parui mundi id est hominis & profanitatis instrumenta; contra tales vsurpatores aliorum bonorũ, clamat Abacuc.

Aba: 2. *Væ qui multiplicat non sua vs-*

que.

quequo aggrauat contra se densum lutum; Ille enim se denso luto aggrauat, qui aliena bona terrena multiplicans, peccati proprij oppressione se coangustat Meritò ad rem, loquitur Lactantius. *Cùm vos terræ submittitis humilioresq́ facitis, ipsi vos ultrò ad inferos mergitis, ad mortemq́ damnatis, quia nihil est terrâ inferiùs & humiliús quàm mors & inferi.* Hinc Christus non tantùm prohibuit aliena usurpare, sed & propria distribuit, Et quod fecit docuit & mirabiliter docuit, nam propria cesserunt varijs usq́ue ad vestes, & ipsam matrem, aliena verò mala sibi appropriauit, vt vsurpatores Deo Patri conciliaret, naturam huma-

manam terram parentem hominis aſſumpſit, infirmam, laborioſam, paſſibilem, adhæc quod peius, ſpinas quæ alienæ erant; quid enim Deo cum ſpinis? quas terra inutilis, arida, & infructifera producit, in capite cum ſummis doloribus poſuit, ita vt ſicut vſurpatores bonorum alienorum ſanguinem e terra exprimunt, & priùs polluunt eam effuſione ſanguinis quam in poteſtatem accipiant, Sic Redemptor noſter vt veniam impetraret alienis ſpinis cruentum reddidit caput ſacroſanctum, vt alienatum per peccatum cœlum homini tanquam proprium reſtitueret. Adorandæ ergo Spinæ Coronæ Chriſti, quæ puncturis peccatoribus cælum aperuerunt.

CAPVT XXXIX.
De Peccato Vſuræ.

NOmen vſuræ tripliciter à Doctoribus accipitur, Primò pro lucro, ſeu obiecto proprio ipſius mutuationis ſeu actionis vſurariæ, & hoc mutuum dicitur vſura, quia ex uſu pecuniæ alteri mutuatæ prouenit; dicitur etiam fenus á fetura, quia in fenore nummus nummum parit, licet enim pecunia ex ſe ſit infecunda, tamen induſtriâ cupidorum fecundior eſt omnibus animalibus; & ſic definiri poteſt, *Vſura eſt lucrū immediatè ex mutuo proueniens*, Bene lucrum vocatur, acquiſitio rei ſupra ſortem, pecuniâ æſtimabilis. Secundò, accipitur uſura pro Contractu uſurario, qui nihil aliud eſt quàm mu- Baſſ.

mutuatio expressa vel implicita cum pacto reddendi aliquid supra sortem ratione mutui; Tertiò pro voluntate sic contrahendi, vt accedat voluntas capiendi lucri supra sortem ex vi mutui. Iudas Vsurarius apertus fuit, nam indignatus est cùm vnguento Christus à Magdalena inungeretur, dixit enim:
Mar: 26. *Potuit hoc vnguentum venundari plusquam trecentis argenteis & dari pauperibus*, pretiũ ostendit, & voluntate summam illam in loculis habere cupiebat, dumque esset frustratus, Vsuram vendito Christo decem pro centum triginta videlicet argenteos accepit, at loco fenoris funem potiùs emit quo suspensus interijt. Ita vsuratij quærunt modũ, quo fraudem vsuræ licito contractu condicãt. Dauid in multis Psalmis detesta-

tur Vsuram, cùm autem præcipuè Vsurarij pauperes opprimant, rogat ille vt Deus eos eripiat, dicēdo: *Liberabit pauperem à potente.* Et infra: *Ex Vsuris & iniquitate redimet animas eorum;* Nullum enim refugium nisi à Deo. Ideò vsurarij appellari possunt, & piscatores & venatores illorum à quibus sumunt, vsuram, piscantur retibus contractuum illicitorum res alienas, & exultant cum ceperint sicut dicitur per Prophetam, *Super hoc lætabitur sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars eius.* Sicut enim rete laqueis sic vsura fraudibus intexitur ad rapiendum alienum aurum. Hinc fuit quòd Apostoli omnem deponentes opulentiæ spem, verùm amplexantes Christi pau-

Ps: 71.

Abacuc de Reg: Nabuch:

periem retia dicuntur reliquiſſe, quæ eas artes ſignificant, quibus Vſurarij in mundi huius mari alienas opes expiſcari ſolent. Venatores etiam ſunt, & de ijs conqueritur Propheta :
Ier. 5. *Sicut decipula plena auibus, ſic domus eorum plenæ dolo.* Qui autem ſunt, præmittit dicens: *Inuenti ſunt in populo meo impij inſidiantes, quaſi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.* Pedicæ ſunt laquei, quibus per pedes miſeræ captantur aues, ſic cùm hominibus queſtus adimitur, quod præcipuè fit per Hæbreos ſiue Iudæos, nonnè laquei, nonnè pedicæ vocari poſſunt? cùm ab vno floreno medium groſſum vnâ capiunt hebdomadâ, at per annum viginti ſex numeran-

rantur grossi, ita vt vix non adæquet summam originalem, Catholici verò multi sunt qui dicere possunt, *Hebræi sunt & ego*, immò maiores Vsurarij Iudæis, Restitutio grauis, immò contemnitur ab hæredibus, estque detestandum adagium in Polonia, felices filios vocari, quorum parentes sunt in inferno. Saluator vt ab vsura reuocaret mortales, expandit rete & laqueos, in Cruce scilicet Spinas, vt timendo spinas perpetuas pro vsura, hîc potiùs Spinis Christi sibi subueniant, licèt asperum sit vt multis contigit, tamen restituerunt, doluerunt, & paupertatem elegerunt, cum Zacchæo dicentes: *Si quem defraudaui reddam quadruplum.* sed satis est red-

dere quod acceptum est. Floreant ergo Spinæ in Capite Christi.

CAPVT XL.

De Peccato Discordiæ.

COncordia à DEO maximè commendata, Discordia à Diabolo introducta, In Paradiso interDeum & hominem ille seminauit hoc semen, variè in mundo fructificat. Rectè S.
Gr: 24. Climacus loquitur: *In cordibus mansuetorum requiescet Dominus, Anima autem turbulenta nidus est diaboli*, in illius nido generantur discordiæ. Saluator veniens in mundum concordiam prædicabat, quæ ex amore Dei & proximi proficiscitur, nam quem amas, & donec amas concordiam tenes,

nes, discordia tollit amorem. Ergo maximè contraria est pręcepto Domini. Post Spiritum Sanctum acceptum, in Ecclesia credentium fuit anima vna, ac summa concordia, verùm antequam acceperunt Spiritum S. ipsimet Apostoli discordiâ laborabant, dum enim prædixisset Passionem suam Dominus, statim duo Apostoli de loco cõtendebant; subiungitur enim: *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Matth: 20.
Etiam sumptâ cœnâ vltimâ, dicit alter Euangelista: *Facta est autem & contentio inter eos*, Luc: 23.
id, est Discipulos *quis eorũ uideretur eße maior.* Nec Scholæ Christi, nec tam tristi tempori pepercit discordia, irrumpit illa vbique, maximè si habeat in-

centores & eius naturæ, qui causando discordias adhuc gloriantur, sibique complacent; Est quasi pugna voluntatum discordia, quæ definitur sic:
Bass: *Discordia est inordinata dissensio voluntatis à voluntate alterius cui consentire deberet.* discordes ergo dicuntur quasi diuersi cordis; Varia autem est discordia, neque semper est opposita charitati, sed etiam alijs Virtutibus, iuxta obligationem quâ tenemur ab alterius voluntate non dissentire, & ideò consequenter ad diuersa vitia pertinere potest, vt pro exemplo, Subditus ex lege obedientiæ tenetur suam voluntatem conformare cum voluntate Superioris; Ergo discordia obedientiã violat; Similiter Debitor tenetur ex Iustitia consentire cum
Cre-

Creditore, discordans peccat contra iustitiam: In statu Matrimoniali, si vel maritus, vel vxor non seruat fidem, discrepant re & verbis mutuò, Iuramentum frangũt, peccata enim specificantur penes perfectiones & virtutes, quibus opponuntur. Multi Doctores sunt eius sententiæ, Toletus, Bonacina, Reginaldus, & alij; Maximè tamen Diabolus laborat, vt discordiã seminet inter mortales, quæ tollit charitatem, optîmè notauit S. Bernardus: *Totum quod habemus si damus propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ipse nihil habet; si ieiunamus, hoc diabolus non timet, quia ipse nunquam comedit; si vigilamus, non timet, quia ipse nunquam dormit: sed* de modo bene viuendi.

si cha-

ſi Charitatem & concordiam teneamus, hoc diabolus vehementer timet. Quare? quia hoc tenemus in terra quod ipſe in cœlo tenere voluit. Diſcordia enim iram Dei in ſe conuertit, Chriſtus contrariò præcipit, prohibuit diſcordiam, & in Paſſione ſpecialiter promouit concordiam, inter Patrem & hominem eam compoſuit, inter Pilatum & Herodem inimicitias & diſcordias ſopiuit, inter Iudæos & Barabbam diſcordiam ſedauit, graui etiam condonatâ pœnâ: demum ſeparata coniunxit, Vitam cum morte, Latronem cum ſanctitate, Spinas quæ diſcordes ſunt cum pedibus hominum in Capite copulauit, vt vel ſic ad vnitatem & concordiam omnes alliceret, & ad

ad cœlum vbi ſumma concordia inuitaret, cauitque ſimul ſeriò ne diſcordijs huius ſeculi diſcordiæ æuiternæ ſuccedant, *vbi nullus ordo ſed ſempiternus horror* diſcordiarum inhabitat. Iob 10.

CAPVT XLI.
De Peccato Diſcordiæ Fratrum.

LIcet Dominus commendarit omnibus Charitatem, præcipuè tamen in vnione Eccleſiæ conſtitutis, vocarique fecit *Fratres*, Innuendo naturalem amorem eſſe inter eos, qui ex eodem vtero exierunt, poſt reſurrectionem ait Chriſtus? *Ite nuntiate Fratribus meis*; Id eſt diſcipulis, & ipſe vt intimè ſe nobis copularet per Apoſtolum Matth: 28.

Rom:8. lum nominat se *Primogenitum ex multis fratribus*, Et adeò zelat Charitatem mutuam, vt dicat; *Si offers munus tuum* Matth: 5. *ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersũ te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Apposité ad hæc verba S. Chrisost: Hom: 16. in Matth. *Sed ò Domine nonne melius esset tibi primum Satisfacere, & Angelis Dei expectantibus, Sacrificium & Orationem nostram vt tibi offerant & deinde fratri.* Concludit Sanctus. *O Ineffabilem Dei nostri pietatem atq; immensum erga nos amorem, honorem suum quo-*

dam

dam modo despicit, dum in homine charitatem requirit; Hæc verò præcipuè in Eucharistiæ sacramenti susceptione locum habent, cùm enim illud sit Sacramentum Vnitatis, nullo modo diuisionem fratrum patitur, Iam Dei gratia plura exempla Charitatis Fratrum, post Passionem numerantur, quam in lege Naturæ & Lege Legis, septem paria amantium pro miraculo antiquitas colit, at discordias fratrum plurimas calculo notare quilibet posset, nihilque peiùs quàm cùm amor innatus vertitur in odium, sicut enim amor excellit inter fratres, sic discordia in summo gradu ascendit, & ferè sunt insanabiles discordiæ inter fratres, aliquot de causis, vel ex Inuidia sicut Cain contra Abel habuit,

nam

nam inuidebat Deum illius munera benigno vultu respicere, sua verò repudiasse, amor in tantum odium versus, vt primus mortem fratri intulerit; vel ex multitudine diuitiarum, quod veritus Abraham cum amicissimo sanguine Loth volu-
Gen:13. it separari, dixitq; *Ne quæso iurgiũ sit inter me & te & inter pastores tuos & pastores meos, Fratres enim sumus recede à me obsecro*; Vel ex diuersitate matrimonij, vt inter Isaac & Ismaelem accidit, dictum enim est Patri. *Eijce ancillam & filium eius*, Et sic à Deo fuit approbatum, & effectu secutum; Vel ex præeminentia de primogenitura, videre est inter Esau & Iacobũ
Gen: Scriptura teste. *Oderat semper*
27. *Esau Iacob, pro benedictione*

qua

quâ benedixerat ei Pater. Vel ex superbia, exemplum in Ioſepho, ſomnium fratres terruit, quòd deberent aliquando adorare illum, appellabant ſomniatorem, & ideò vendîderunt Ioſeph; Verè Anonymus aduertit dicens: *Duodecim fratres fuerunt, vndecim Iôſephum duodecimum (ne ſibi dominaretur) vendiderunt, Ecce quid intenderunt? Sed aliud contigit quàm voluerunt, nam ideò quia eum vendiderunt eidem ſubditi ſunt.* Vel ex timore, vti Abiſſinorum Dominus fratrum oculos eruit, timendo ne ſuccedant. Còmparat quidam amorem fratrum aſpidi, quòd non vna ſed duæ ſimul incedant, & altera alterius cauſam ſuſcipiat,

Lib. 3. Hom: 8. cap. 4.

& ſi

& si vna lædatur altera vindictam sumere de lædente curat, si verò discordia oritur, suis venenis mutuò se conficiunt. Saluator ergo præcipuè propter fratres venit in mundum, cùm verò eum non recepissent, pro omnibus in Cruce cum Corona Spinea pependit, vt spinas discordiarum proprio dolore tolleret, inde iam non tam multa exempla discordiarũ inter fratres scribuntur, potius vti fratres in vna Ecclesia & sub vno Capite collocati amorẽ & charitatem fouent. Concordia ergo adscribenda est Fratri Primogenito Domino nostro, & eius Cruci, Spinis, & morti.

CAPVT XLII.

De Peccato Irreuerentiæ Parentum.

POst Præcepta in Decalogo de Deo & festo, primum est quod iubet Deus, *Honora Patrem & matrem tuã*, additur, *vt sis longæuus super terram.* Reuerentia ergo post Deum prima debetur Parentibus, quia ad generationem concurrit Deus hominum, vt à Parentibus corpus, á Deo animam recipiant, quasi ex pacto, S. Paulus etiam discolis præpositis, tanto magis genitoribus præcipit obedientiam Sed hoc mirum quod Parens etiam decem filijs procuret & possit alimẽta dare at decem filij vnum Parentem nutrire pro impossibili aliquando iu-

iudicant, vitam, lac, educationem bonam debent Parentibus, & accidit, vt vitâ, inediâ malis verbis, ereptione hæreditatis priuent eos à quibus geniti, Aetas longior, acer, expectatiua molesta; Fortè obiiciet aliquis, quia matres alieno lacte pascunt per nutrices filios, ideo tanta irreuerentia? Verum quidem est, nam dicit Vincent.

Ser. 2. de Nat. *Sicut vterus matris est Camera filij, ita ubera sunt Cellariũ.* Legitur etiam Historia de fratre Rustici, is cum ex bello Romam rediisset, ac matrem & nutricem à qua alitus fuerat offendisset, Matri cingulum argenteum Nutrici Monile dedit aureum, matre id ægrè ferente respondit filius. *Tu me nouem*

lib. 8. de educ. pu *mensibus portasti, illa verò tri-*

ens

ennium me suis aluit uberibus, & quando me infantem à tuis reiecisti oculis ista me excepit & in suo gremio ac sinu educauit. Licet ergo improbent alij matribus denegationem lactis filijs, tamen quia matres sunt, quia in lucem ediderunt, quia educarunt, honore dignæ sunt, optime S. Hieron: Loquitur. *Primus gradus est pietatis iste ut quos authores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis, sed nec vultu lædenda est pietas Parentum, meretur cæcitatis subire supplicium, qui Parentum vultus toruo vultu despexerit.* Isaac non contradixit Patri cui plauit illum immolare Deo & vitam auferre. Deipara

quan-

quantâ reuerentiâ, prosequebatur parentes, ideò longæuam duxit vitam, tot dolores & cruciatus in Passione Christi suscepti non intulerunt mortem. Sed Saluator nŏster super omnes excelluit reuerentia erga Parentes, Ioseph erat putatiuus Pater, MARIA Mater vera, & tamen additur: *Et erat subditus illis.* Quid iam Patri Æterno non fecit, voluntati eius obtemperãdo, pro honore eius & contumeliâ ab hòminibus illatâ, Homo fieri & mori voluit. Dicet quis: Quare tamen Christus breuem vitam duxit, & non longiorem, secundùm promissum in Decalogo? potest responderi; duplicem Parentem habuisse Christum, In cœlo Æternum Patrem, in terra Matrem MARIAM, vtrique satisfe-

Luc: 2.

fecit, Matri viuendo, secundùm computum multorũ supra mediam partem annorum illius; cùm enim illa sexaginta tres attigisset, Dominus triginta tribus vixit annis; vti ergo dixerat dum in templo fuisset à Ioseph & MARIA inuentus: *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Luc: 2.
Ita oportebat eum viuere vitâ Patris quæ est æterna; tandem in Cruce cum reuerentia inclinato Capite emisit spiritum, Corona etiam Spinea (quam ex obedientia Patris habuit impositam) decenter, licèt cum dolore depressa, instruendo filios etiam spinas tolerandas à Parentibus, aliàs ob irreuerentiã Parentum cruciatus manere æternos discólis filijs, quod à multis auertere Saluator Pas-

ſione ſuâ dignatus eſt, quia pro multis effudit ſanguinem.

CAPVT XLIII.
De Peccato Perſecutionis Religionem.

STatus Religioſorum ab omnibus coli venerari deberet, maximè à Catholicis, nam Vatiniano odio eos & Infernus & Hæreſis perſequitur; Sed hoc mirum quòd Catholici eos opprimant, bona, vel ex parte, vel integra auferant, peioresq; ſunt ipſis Dæmonibus, nam hi cogitationibus varijs mentem turbant Religioſorum, ijſque tantùm perſequuntur, homines peruerſi & verbo & opere eos quieſcere non ſinunt. In Canticis ad Sponſam dictum ponitur: *Adiuro vos Filiæ Hieruſalem*

Cap. 3.

ſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. Id eſt, Sponſa anima in Clauſtro concluſa vacat Deo quàm diu vult, à nullo impeditur, orat, cantat, meditatur, eſt adinſtar Ceruæ, quæ in ſylua, ſola dum eſt, ſecurè dormit, quieſcit, ſi verò in forum prodeat Ciuitatis, non inuenit requiem, canes, homines turbant, diſcurrit huc illuc: ſic Religioſus, in cella quietè Deo ſeruit, ſi canes, qui malè loquuntur, ſi homines qui perſequuntur, ad fora Tribunalitia eum prouocent, relinquere cogitur ſecuritatem animæ ſolæ quieſcentis, litigare, diſcurrere cogitur inuitus; Rectè Thomas Malleolus: *Dilecti Fratres qui in religione ſtatis, ſi* Ser. 11. ad Novit.

fideliter impletis quod vouistis Martyres estis. Etsi vt S. Augustinus ait: *Tota vita hominis Christiani si secundum Euangelium viuat, Crux est atque Martyrium.* Qualis erit vita Religiosi hominis, qui secundum Euangelij perfectionem est? Et Dauid in persona illorum dicit *Propter te mortificamur, tota die facti sumus sicut oues occisionis,* Triplici autem modo fit persecutio religionum, vel si aliquis offēditur ab vno religioso, statim virus vindictæ euomit in totam religionem, & nocendi materiam quærit; vel si aliquod delictum etiam paruum videat, aut audiat Religiosi, summopere scādalizatur, & rodit mordaci lin-

Ser. 32 de Sanctis

Psalm. 43.

gua integram religionem, vel si confinia habeat cum bonis religiosorum, eos & vi & iure affligit; Milites etiam maximè delectãtur bonis religiosorum, & expilant, abutuntur illis verbis; *Pinguis est Panis Christi* & loco *Regibus* dicunt *delicias præbebit* Militibus, sic vndiq; Martyrio miseri afficiuntur religiosi, & non tantùm non sunt Martyres sed etiam holacausta vti tradit Nazianzenus; *Sacrificia viuentia & holocautomata rationabilia religiosi*, Spinas habent & intùs & extra, intùs per resistentiam insultibus Diaboli, Extra per patientiam fortiter toleratam ab iniurijs illatis, sicut enim in Capite Christi Spinæ & intùs pungebant & extra apparebant, ita in vocatione,

one Religiosa idem sit, imitatores suntSpineæ Coronæ, quã persecutores milites & Iudæi imponentes Capiti Christi percutiebant arundine, quæ significat debilitatem, nam à quolibet vento mouetur; ideoSaluator de S. Ioanne, *Quid exi-stis videre arundinem vento agitatam*, sic persecutores minima præsumptione vindictæ, aculeis tanquam spinis Religiosos sauciant, & interim vt tortores genua flectentes irridebant Dominum, non aliter hi faciunt, in tẽplo audiunt apud Religiosos Sacrum, & illorum se orationibus commendant. Aderit hora quæ Coronam auream, immortalitatis imponet Religiosis, persecutores verò æternũ sertum spinarum fodiet.

Matth: 11.

CAPVT

CAPVT XLIV.
De Peccato Simoniæ.

S. Bernardus appellat Simoniam *Matrem Auaritiæ*, Ep. 62. hoc tamen discrimen, quòd tantùm inter spirituales contractus Simonia versetur, auaritia generale vitium nuncupetur, Origo à Simone Mago, nam sicut ab operibus eximijs nomina dabantur multis, ita & à peruersis, ibi propter laudem etiam posthumam, hîc ob vituperium nunquã cessaturum, nam habetur de Simone qui emere voluit potestatem conferendi Spiritum sanctum, id est dona eius. Primogenitura pec- Act. 8. cati Simoniæ in nouo testamento ab illo orta fuit, & statim audiuit à S. Petro. *Pecunia tua tecum sit in perditionem quo-*

niam

niam donum Dei existimasti pecunia possideri, Ijsdem verbis vsus S. Gregorius Magnus, dum pecuniam post mortem Sacerdotis cuiusdam inuenisset; Iam verò Simoniaci non Sanctum Spiritum volunt emere, sed reditus, pallium superinduunt Contractui gratitudinẽ vocitantes, de Spiritu Sancto non multùm sunt solliciti dum modò marsupium impleatur, vt verò sciatur quid sit Simonia definitionem illius audire licebit, communiter ergo ita definiri solet à Doctoribus.

Eli. Bas. de Sim.

Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum pro temporali, vel pretio temporali. Pecunia est inuenta

pro

pro commutatione rerum temporalium vnius pro alia, quæ itaque res spiritualis pecuniâ acquiritur Simonia exercetur: Simonia ex suo genere est contra Religionem, & valdè graue peccatum mortale, immò probabile est non dari in Simonia peccatum veniale, ex leuitate materiæ, nisi ex inconsidera-tione vel ignorantia, habente admixtam negligentiam venialem: Ita turpitudo & deformitas huius delicti in eo consistit, quod gratia Dei quæ excedit omne pretium & contractus humanos, subijcitur pretio & humano contractui; Omninò obominandum quod res spiritualis ponatur intra ordinem rerum vendibilium. Aliquorum etiam est sententia Doctorum, esse mentalem Simoniam, quo- Ibidem

quoties per actionem spiritualem principaliter intenditur aliquid temporale, vel quoties per actionem temporalem seu traditionē rei temporalis principaliter intenditur aliquid spirituale, mediante illo temporali Et sic qui Episcopo seruit intendens præcipuè beneficium, reus est labis Simoniacæ, licet alij dicant non posse committi Simoniam mentalem, nisi intendatur temporale tanquam pretium rei spiritualis, vel spirituale tanquam pretium rei temporalis. In tria tamen diuiditur pretium Simoniæ, fit enim à manu, à lingua, ab obsequio. Per manum, munus intelligitur, per linguam laus, adulatio, ex vi pacti expressi vel taciti, Per obsequium si seruitium intendatur merè ad obtinen-

tinendum quid ſpirituale. Ego tamen iudico ante Simonem, Iudam traditorem commiſiſſe Simoniam, cùm non tantùm rem ſpiritualem, ſed DEVM vendiderit acceptâ pecuniâ. Chriſtus vt Simoniam tolleret emi fecit in ſepulturam peregrinorum agrum, pro pretio fraudulentæ pecuniæ. Certè inter dolores Spinarum Domini, erat peccatum Simoniæ, quod quicunque pro mammona acquirit rem ſpiritualem, in mundo pro eadem mercatur infernum in altera vita; Si enim Saluator appellârat Spinas diuitias, quid Simoniam quæ grauior? tacitè impoſita Corona Spinea Capiti Domini, Simoniam damnauit, & victoria obtenta Spinea Corona Simoniam conculcandam vti ſpinas pedibus declarauit & inferno.

CAPVT XLV.

De Peccato Veneficiorum.

MAximus numerus est illorum qui Veneficijs vtuntur, puto in Iudicio vltimo exercitum integrum adfuturum, quos nequitiâ Diabolus suâ & fraude decepit, præcipuè & communiter fœmineus sexus subiacet tali peccato; forte ob quinque causas. Prima, Hostis Dæmon assultum in Euam fecerat primum, quia ei successit *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum*, & sic continuat seducendo illas, quæ volunt scire bonum & malum, Simplicitas absque doctrina impedit scientiam, Cœlum non libenter se humoribus mulierum accomodat, ergo ad Diabolum recursus, qui promptus ad seruiendum

dum si lucrum animæ sequatur; itaque ordinariè etiam Veneficijs fœminæ delectantur, & à Dæmonibus obsidentur, fundatâ impiâ iurisdictione in Paradiso. Secunda, Curiositas, est mera proprietas mulierũ, ideò curiosum Dæmonem sequuntur qui & similis Altissimo esse voluit, & curiositate scientiæ boni & mali illusit fœminæ. Tertia, volunt apparere non rudes mulieres, ob futura quæ sciunt, & quæ ad effectum cum admiratione aliorum perducunt, putant sibi honorem & reuerentiam propterea deberi. Quarta, diuitias sibi à Dæmone imaginantur posse dari, cùm vix aliqua Venefica fuerit vnquam diues, impostor & Hostis animæ promissa non seruat, immò Veneficas affligit, verberat, & ob

hanc

hanc causam vt relatio multorum secuta, in templo se diutiùs occupant, vbi immunes à vexatione Cacodæmonum relinquũtur. Quinta, ob vindictam veneficijs vtuntur, quasi leænæ coquunt vltionem, & apud Danielem mulier leæna pennata videbatur, & Maximus dicit mulierem leænæ complectentem malitiam, furit ergo & incantationibus maximum damnum infert per tempestates, fulmina, mortes, varios morbos: Sed posset aliquis cogitare, cur Diabolus nõ noceat hominibus per se, potiùs per homines? Tres sunt causæ. Prima, quia sic multis nocet, plura enim damna infert per homines, quàm per se ipsum, vt resistere superioribus, excitare hæreses, abuti rebus sacris. Secunda, vt plures de-

ci-

cipiat, quia naturaliter homines abhorrent consortium Diaboli non hominum. Tertia, vt maiorem Deo iniuriam faciat, cùm abutitur creaturâ rationali ad malum. Ergo summè delinquunt Venefici & Veneficæ, cùm sint instrumenta malitiæ Diaboli contra ipsum Deum, neque illi minùs peccant, quorum in morbis & afflictionibus recursus est ad veneficia, cùm hac in re consentiant pacto Diaboli, & habent fidem quandam & confidentiam posse illos saluari & liberari à molestia, quod perniciosissimum est peccatum. Si aliquis interrogaret, cur per sacra verba & res sacras Dæmon suadeat veneficia fieri? Respondetur, vel vt maleficorum peccata reddat grauiora, nam eo pacto non tantùm sunt

malefici, sed etiam sacrilegi, vel vt faciliùs decipiat persuadendo huiusmodi effectus non fieri á Dæmone, verùm à Deo vtpote post res sacras effectos: Quid dicemus de illis qui sanguine proprio Chirographos dant Diabolo, horrendum & cogitare! Ideo Christus vt Chirographum tale tolleret sanguine copioso effuso deleuit maledicã sanguinis Dæmoni subscriptionem, vt in multis apparuit; Venefici insignem Spinam Capiti Redemptoris imposuerunt, sauciarunt Caput Christi, qui cùm ad similitudinem suã creasset homines similitudinem Dæmonis assumpserunt, dum facti inimici Dei, ab iugo se illius fortiter exemerunt, & non tantùm Diaboli fiunt per veneficia mancipia, sed conspirant contra

tra

tra Deum, seruiunt Diabolo vt Deus offendatur & proximus, sunt tanquam seræ, quæ misericordiam Dei præscindunt & separant vt lignum à ligno, sic Creaturas ab obsequio Creatoris.

CAPVT XLVI.

De Peccato Incendiariorum.

ELementa omnia Deus ad vsum hominis creauit, àërem ad respirandum, terram ad sustentandum & nutriendum, aquam ad lauandum & coquenda alimenta, ignem ad tria subsidia homini contulit, ad lucendum, calefaciendum, cibos præparandum. In creatione secundùm Moysis descriptionem, qui de creata à Deo terra & aqua tantùm loquitur, de àëre nihil, de igne similiter, puto inter lu-

cem creatam Ignem condidisse, Aërem etiã inter aquæ creationem intrasse, sicut enim in commodum mortalium omnia elementa Deus fecit, ita etiam in pœnam, Aër infectus & pestifer multas myriades hominum extinxit, Terra absorbuit homines & vrbes, Aqua deleuit carnem mortalem. Ignis sæpe offensam vlciscitur diuinam. Et in fine totus mundus ab igne consumetur; At non solus Deus Elementis punit peccatores, illis ipsis vicissim sibi nocẽt homines. Aquâ dum submerguntur alij ab alijs, vt etiam & sanctis similiter contigit, In terra viuos defodiunt, & superpositâ terræ glebâ opprimunt, Aërem vel veneficijs vel veneno inficiunt & interimunt, verùm maximè nocent sibi igne, nam primis tribus elemen-

mentis rariùs enecant, Ignis simul substantiam & vitam aufert, integræ domus & Ciuitates igne in cineres rediguntur, vulcanus non libẽter parcit, vbi pedem figit, ex vna scintilla oritur tale incendium, quod in fauillam & homines & bona comminuit; Multi in genere Incendiarij possunt appellari. Aliqui vt se ab hostibus defendant igne se liberare coguntur, Aliqui ne inimicis spolia cedant hæredem vulcanum instituunt, Aliqui capta vrbe vt Milites statim igne subiecto accendunt, vt commodiùs rapinæ studere possint. Incendiarij tamen propriè in quinque genera diuiduntur. Primum cùm sint naturæ ferocis captant voluptatem ex igne immisso, talis fuit Nero hic Romam recreationis

causa conflagratam aspexit, & vt scelus tale a se repelleret, culpam in Apostolos transstulit. Secundum, Propter vanam gloriam vti ille qui Ephesi Dianæ templum igne est depopulatus Iam verò rari tales reperiuntur Incendiarij, at triplices sequentes magno numero calculari possunt. Tertium Multi ex mera malitia ignem inijciunt, vt ex confessatis apparuit, multorum enim tale est ingenium, qui nisi nocerent alijs nec dies lætos nec quietem se habere fatentur: Summa peruersitas filiorum Adam, & naturæ per peccatum corruptio. Quartum Ob vindictam multi ignem subijciunt ædibus alienis, tunc lætantur cùm illatam iniuriam igne vindicare illis fuit concessum & insultant illato damno. Quintum ob

spem

ſpem prædæ, & hi ſunt veri Incendiarij, quoties hoc agnouit noſtra Polonia, quot mercatores, Nobiles, Ciues Colonos, vna nox vel dies mediante igne, ex diuitibus inuitos ordini mendicantium adſcripſit? Quot nundinæ interceptæ igne, locò lucri omnibus mercibus ſunt ſpoliatæ? Ideo etiam Incendiary meritò ipſi igne cremantur, & ferè præcipua flagitia igne coercentur, vti ſacrilegia, veneficia, & ſimilia, Ignis tamen lignis indiget ad nocendum, etiam ſpinis accenditur & conſeruatur ignis, vt ergo Incendiarijs remedium ſaluator præberet, ſpinas in Capite ſuò ſacroſanĉto poſuit immunes à Vulcani poteſtate, & ad extinguendum & delendum hoc peccatum, ſanguine locò aquæ proprio madefecit ne concipe-

cipe-

ciperent ignem. Tu qui tali ſcelere te ſcis pollutum, ſcias aquâ poſſe ſedari furorem ignis; Coniunge ſanguinem Chriſti cum aqua tua lacrymarum, ſanguis talis & aqua ſuffocabunt peccatum igne commiſſum, alios expectant non pœnitentes aliæ ſpinæ in inferno, quæ alunt ignem, neque conſumentur, ita alternata maledicta ex igne mundi ad illum tranſibunt Incendiarij, ibi quinque genera enumerata diuerſimodè patientur pænas & vltionem quam alijs igne inferebant, in propria carne ſentient, vlulabunt præ anguſtia; Spinea Corona Chriſti parata eſt etiam tanto peccato ſubuenire: Ergo extollenda in æuum.

CAPVT XLVII.

De Peccatis in militia Commissis.

Militia actualis id est opus ipsum bellãdi quoad executionẽ iuxta Zuares Filluciũ proximè accedit ad opus seruile, quia ars militaris computatur inter Mechanicas, hinc per se militia prohibita est in die festo, per accidens tamen & ex causa toleratur, cum semper sit aliqua vtilitas aut necessitas, in non differendo bello ad aliud tempus, si statim commodè geri possit. At certè gloriosa est militia, nam Principum Magnatum schola est exercendæ Virtutis præcipuè fortitudinis, dexteritatis, verùm hoc tempore una littera immutata est, militia nimirum in malitiam versa, dum ante-

quam

quam cum hoste congrediantur, magnanimitate licentiosa confligunt cum bobus, armentis & supellectili rustica, & Ecclesiasticis bonis, ita fit vt in vero congressu cum hoste duplices inimici appareant, homines hostes, & boues arietesque miserorum, illi hastis, hi cornibus pungunt, illi corpus, hi animum conturbant, illi terribiles armis, hi feroces timidæ insultant conscientiæ, & cùm quasi ad nuptias se ornent, dum ad pugnam procedunt, timore correpti absque musica choreas fugâ ducunt. Aptè S. Bernardus describit hunc militum decorem. *Quis ergo ô milites hic tam stupendus error, quis furor hic tam non ferendus, tantis sumptibus, ac labori-*

ad milit. templi c. 2.

boribus militare, stipendijs verò nullis nisi aut mortis aut criminis? Operitis equos sericis & pendulos nescio quos panniculos loricis superinduitis depingitis hastas, clypeos & sellas, frena & calcaria auro & argento gemmisque circumornatis, & cum tanta pompa pudendo furore & impudenti stupore ad mortem properatis, Militaria sunt hæc insignia an muliebria potiùs ornamenta? Nunquid fortè hostilis mucro reuerebatur aurum, gemmis parcet, serica penetrare non poterit? Et in fine concludit. *Non sanè aliud inter vos bella mouet litesque suscitat, nisi irrationabilis iracundia*

cundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiscunque possessionis cupiditas, talibus certe ex causis, neque occidere, neque occumbere tutū est. Ideò fortè rari saluantur milites, nam lacrymis pauperum & religiosorum manus asperſas habentes, lubricis ad feriendum hostes vtuntur, inde benè idem S. Bernard: *Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullum & Chlamidem.* Ex reditibus eorum vestes sibi aptant, imò expilatione bonorum, vix cucullos religiosis fieri concedunt: Sed quid mirum si in pauperes & miseros sæuiant, cùm executio decreti contra Christum lati militibus concessa fuit, quam rigi-

rigidè executi sunt, Coronam Spineam non jussu Pilati ex mera imposuerunt milites malitia Domino, crucifixerunt, vestimenta diuiserunt, latus aperuerunt, & vt vno verbo declararet S. Ioannes malitiam militum dicit, *Et milites quidem* (*hæc*) *fecerunt*. Ioan. 1. Quid miramur si eorũ successores in membra Christi quæ sunt pauperes & Religiosi, similem exercent carnificinam? S. Martinus bonus Miles & tamen tantùm mediam vestem dedit egeno, miraculum illud ipsemet Christus publicauit, iam si mediam tunicam pauperum auferrent adhuc tollerabile esset, sanguinẽ, lacrymas exsugunt miserorum; ob hanc causam aperto latere miles Longinus, vidit vtrumque exire è Corpore Christi, innuen-

nuendo id facere milites membris eius. A Spinis ergo Coronæ impoſitæ Domino furorem milites expectent, niſi recurrant ad ſanguinem Chriſti vti Longinus, ſanatus ſanguine ſub Spinea Corona; tamen lacrymas ergo fundite milites, reddite accepta, ſpinâ Contritionis & reſtitutionis euadetis vltrices ſpinas quas meruiſtis.

CAPVT XLVIII.
De Peccato iniuſti Belli.

NOn ſatis morti quòd tollat homines è mundo, bellum in auxilium euocat; illud gignit famem, fames peſtem, peſtis mortem, ſic, licèt vnus ſit introitus in mundum, vt Seneca ait, plurimi tamen & varij
Senec. exitus inde; Bellum eſt iuſtum & iniuſtum, in vtroque ſepul-

chra crebra mortalium visuntur, plures nihilominus animæ iniusto pereunt bello, hoc grauissimum censetur peccatum, tum, & charitati, ac paci, tum etiam Iustitiæ oppositum; Sed fructus belli attendamus, vnus est Spoliatio Ecclesiarum, hinc silentium Laudum Dei: etiam in cœlo quando fuit prælium inter Michaëlem & Luciferum, *quasi mediâ horâ factum est silentium*, fortè ad captum nostrum dictum, quòd bellum cogit vacare à Sacrificijs Deo debitis. Secundus, cùm Ablatio rerum consecratarum Deo sequatur, cùm Iure belli omnia sibi deberi absque dispensatione imaginantur milites. Tertius est etiam destructio ædificiorum quæ tot sumptibus extructa, Vulcani ope funditùs

Apoc. 8.

euer-

euertuntur; adhuc Diuitum in pauperiem transmutatio apparet & vicissim, nam rapina aliquibus detrahit, alijs largitur. Libertatis in captiuitatem conuersio, dum vincula quondam aurea quæ pectora cingebant, iam durum ferrum in squallore sordido detinet libertatem. Tandem vita aufertur multis corporis si non animæ, dum vel imparatis gladius resecat ceruices, vel desperatis fauces non compunctæ eliduntur; Si vnquam talia damna manibus pâlpantur, certè his annis in tota ferè Europa conspiciuntur, vti Germania quæ per triginta duos agitata annos bellorum fluctibus, quot Episcopatus & Abbatias & loca Religiosorũ concessit vt perpetuò in seculares mutarentur hæreditates. Idem per

per hos annos Cosaci cum nostris templis egerunt. Auderet tamen quis suspicari, cur Deus aggredientes iniusto bello secundet aduersarios? Ob duas puto causas, vel vt tanquam flagello vteretur ad coërcenda peccata nostra; vel vt resipiscentiam & dolorem delictorū mentibus ingerendo ad Dei auxilium confugere cogat, nam prospera obliuioni beneficia eius traduntur. Possumus ad illos qui iniusto bello mundum turbant hoc eloqui, quod Garamantus ad Alexandrum Magnum dixerat, cùm Darium vicisset vocat ausum eius insolentiam, & volentem occupare totum mundum, appellat nō Regem hęreditarium sed Tyrannū aduentitium. Enumerat postea delicta contra virtutes pugnan-
tia,

In Hor. Princ. tia, cuius vtar verbis: *Quomodo iustitiam te credimus quærere cùm contra rationem & æquitatem vniuersam Tyrannide terram opprimas? Quomodo pacem, cùm quot te suscipiant tributarios facias, & resistentes hostiliter tractes? Quomodo quietem, cùm turbarum toti mundo sementem facias? Quomodo clementiam, cùm fragilitatis humanæ carnifex sis? Quomodo diuitias, cùm tibi neq; opes propriæ, nec ea quæ à Victis accipis, nec quæ à victoribus offeruntur sufficiant? Quomodo amicorum commoda quærere te credimus, cùm ex amicis veteribus hostes*

effeceris nouos? Detestanda mortalium sitis & cruoris & crumenæ alienæ. Saluator noster bellum cum Principe Tyranno mundi suscepit, cruentũ bellum, & opinione humanâ victor apparuit Dæmon, nam Dominum & flagellauit, & Coronâ Spineâ ornatum morte acerrimâ sustulit, in oculis insipientium triumphus agnoscitur iniusti belli, at in re ipsa arte inenarrabili superatus Infernus, Spina in Capite Christi sauciabit in æternum Luciferũ, decreto perpetuæ damnationis & instrumenta illius vlciscetur, iniusta bella iustissimâ sententiâ reijciendo â pace perpetua, iam tamen & nunc promittit brachijs extensis & Spinarum dolore si velint veniam talibus.

CAPVT XLIX.

De Peccato Vindictæ.

NAturale eſt quidem homini vindictam cupere, ſed deprauatæ vitiũ naturæ Chriſtus vt corrigeret inclinationem malam in vindictam, Matth: 5. præcepit dicẽs. *Diligite inimicos veſtros & benefacite ijs qui oderunt vos*; Durum quidem eſt verùm magno præmio talis à Deo honoratur. Fuerunt homines ſicut nos, Dauid, Stephanus, Paulus, Iacobus minor, & pro inimicis orarũt, præiuit exemplo Dominus, & quid non contulit ingratis Iudæis & Iudæ licet ſciret omnes in perniciem ſuam conſpiraſſe? Dicet aliquis: Quare ergo Sancti clamant *Vindica Sanguinem noſtrum*

strum Deus noster Respondet S. Bernard: *Non tanquam vindictæ cupidi, nec de propriæ ultionis zelo, at ex desiderio resurrectionis & glorificationis corporum suorum quam nimirum usque in diem Iudicij differendam esse non dubitant.* Et infra: *Unde & B. Ioannes asserit, sine macula sunt ante thronum Dei, sine macula inquam, sed non sine ruga donec veniat Dies, cùm sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam non habentem rugam.* Verùm etiamsi de vindicta mera loquerentur Sancti, illam tamen non sibi assumunt, sed illi concedunt, qui dicit: *Mihi*

In Festo Omniū SS. ser: 3.

vindictam & ego retribuam. Iudæos non est vltus vt homo Saluator, vt Deus vindictam per Romanos talem sumpsit vt non remanserit templi lapis super lapidem. Et S. Ioannes Gualbertus propter vindictam commissam Deo, ita placuit, vt cum Crucifixus amplexu suaui dignatus fuerit amplecti: At si ostendamus quod Christus mirabili vindictâ vltus est & vlciscitur homines, quid cogitabunt vltores peruersi? De qua
Ps. 117. re mirè loquitur Psalm: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini quia vltus sum in eos.* quasi dicat, Fauus mellis ego siã, & sicut apes illum circumdant, ita me circumdabunt inimici mei, faciam

ve-

verò eos igne amoris ardere veluti spinæ ardent, & sic in nomine Domini optimam de eis sumam vindictam; Quid est verbum in Carne? nisi mel in cera humanitatis? Cùm ergo Deus Homo factus est, fauus mellis factus est nobis, circumdederunt verbo homines, quasi apes hunc fauum mellis, sicut testatur Dauid: *Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti. & Synagoga populorum circumdabit te.* quasi dicat: Posuisti vnum dilectionis præceptum, exurge & imple illud, ideò subiungit: *Et exarserunt sicut ignis in spinis*, igne Charitatis exardescent; Tum sequitur: *In nomine Domini quia vltus sum in eos*, id

Ber: ser: x. de Aduen:

Psal: 7.

id eſt, vindictam optimam reportaui; ſed quomodo? amor meus ſumpſit vindictam, hic facit Martyres eos qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs, hic amor innumeros exules fecit, deſertis, montibus, & ſpeluncis, ac Religionibus addixit, omnes crucem baiulare ſponte docuit, & non tantùm ſuſtinere in alijs, immò proprijs manibus ſumi tormenta perſuaſit. Fuit ergo Vindicta quam Diuinus amor de homine ſumpſit glorioſiſſima Deo, quia ex eorum voluntate proceſſit, à quibus vindicta ſumpta eſt. Dumque Chriſtus in cœlum aſcendens ab Ange-
Iſai: 63. lis interrogaretur: *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* reſpondit: *Calcaui eos furore*

meo,

meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus sanguis eorum super vestimenta mea, dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. Verè exarsit amor Christi in Spinis Coronæ Spineæ, dicto verbo: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Vindicta eiusmodi ad similes vindictas inuitauit multos. Talis vindicta laureâ bonarum Spinarũ coronabitur in felici Electorum statu.

CAPVT L.
De Peccato Tyrannidis.

Aliqui putant sub signo Saturni Crudeles nasci & Tyrannos, quodcunq; sit signum, multi sunt qui voluptatis loco numerant si sæuire in homines lice-

liceat; Duplicem Tyrannidem advertimus, vnam in Principibus qui varijs supplicijs mortales necarunt. Alteram quæ fidem Christianam tormentis extinguere voluit: Prima Tyrannis non diuturna, nam Deus non permittit vt Tyrannus diu imperet, gemitum pauperum exaudit Deus. De Phalaride Tyranno Ouidius fuisse refert ore admodum fædo, oculis Strabonem, & pecunias colligendi auidissimum, erat in promissis perfidus, aduersus amicos ingratus, inimicos crudelissimus, denique talis vt quæ singula in singulis Tyrannis erant vitia, omnia in vno inue-
lib:120, nirentur, Et Oros: Phalarim crudelem mente, commentis crudeliorem affirmat: Tyranni sunt carnifices planè vel lupi

sub-

ſubditorum, vti Caligula qui optabat vt vnam ceruicem haberet Populus Romanus, quatenus vno ictu carnificinam cõpleret. Ideò Seneca ait. *Non minus Principi turpia ſunt multa ſupplicia, quam Medico multa funera.* Et in alio loco idẽ; *Neceſſe eſt vt multos timeat quem multi timent.* Reddit Deus Tyrannis, vt cùm illi interficiant plures, ipſi etiam gladio aliorum pereant. Rectè Minutius. *Rex es tam times quàm timeris, & licet ſis multo Comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es.* Tyrannus enim ſe tuetur, nihili æſtimat vitam aliorum, vt Val: Flaccus dixit: *Nec vulgi cura Tyranno dum ſua ſit modò tuta ſalus.*

lib. de Clem. c. 24.

l. de ira cap. 11.

pag: 399.

lib: 1.

E con-

E contra Deus permittit vt vitâ priuetur Tyrannus, nam raro propriâ decedit morte; Immò gloria inde naſcitur; non enim paratur gloria innocentes occidendo, ſed Tyrannos delendo. Immò eſt quæſtio Theologica, an liceat Tyrannum occidere? Quando Princeps eſt Tyrannus ratione tituli, nempe ſi abſque vllo jure armis principatum occupet, talis poteſt à quouis de Regno interfici, modo iſtæ conditiones interueniant. Prima, vt non pateat recurſus ad Superiorem; Secunda, vt conſtet eſſe Tyrannum ratione Imperij; Tertia, vt non ſit contra expreſſam Reipublicæ voluntatem; Quarta, vt non timeantur maiora mala ab eius ſucceſſoribus: Cùm verò Tyrannus hic nō punitur, ibi vbi ſuprema Tyrannis

Baſſ: de Homic.

in

in Inferno grauiùs torquebitur. Nihil est magis abominabile Deo, quàm Tyrannis, quæ merè contra Charitatem proximi pugnat. Itaque cùm aduertisset Dæmon fidem Christianam propagari, Principes Tyrannos excitauit contra fideles, qui per trecentos ferè annos copiosum effunderũt sanguinem, siti perpetuâ laborantes vt tormentis interimerent Charitatis præceptum; Diocletianus Tyrannus, & gurges sanguinis Christiani, cùm non potuisset medio tot funerum interimere Charitatẽ Christianã, ex melancholia abdicauit se Imperio. At super omnes Tyrannos, excessit Tyrannis erga Christum Iudæorũ & Sacerdotum, illa enim supplicia expertus est Saluator, quæ nullus homo nec pati, nec su-

ſuſtinere vitâ ſuperſtite potuiſſet, propterea per Prophetam
Thr: 1. locutus eſt: *Videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*, præcipuè in Corona Spinea quæ nulli impoſita fuit vnquam, quaſi Tyrannis de Corona collocata in Capite Domini, ſigno crudelitatis ſupremæ gloriari voluiſſet. Chriſtus dixerat: *Princeps*
Ioan. 12. *huius mundi eijcietur foras.* Eiectus, eius armis, morte ſuâ mortem ſuperando, Tyrannide illatâ à Diabolo, Tyrannidem eius deuicit. Si ergo Dæmon fuit Princeps, Chriſtus Rex Tyrannorum paſſiuè fuit, ideo Tyrannicâ Coronâ Caput ornatũ, ſuſtulit Tyrannidem & Crucem, nec Corona talis, nec Crux vſurpatur Conſtantini edicto, niſi ex dilectione, & Corona

Spi-

Spinea præ aurea placet Electis, & Crux optatur cum S. Andrea: Tyranni accurrite ad Coronam Spineam, aliàs Infernus vos cruciabit æternâ Tyrannide.

CAPVT LI.
De Peccato Status Causidicorum.

MVlta sunt media quibus homo victum quærit, Domini ex prædijs & reditibus, pauperes ex Eleemosina, Causidici ex lingua sustentantur, sed vti multiloquium multis fuit exitio, ita præcipuè Procuratoribus, nescio an possint esse immunes à delicto Refert Car: Belarminus cùm adhuc esset in Societate IESV vocatum se fuisse ad quendam ægrum iam ferè agonizantem sibi notum.

Pro-

Properat, putarat se ad excipiendam confessionē venturum, Ecce infirmus commedat illi vxorem & filios, se enim ad infernum asserit iturum, dissuadet multis, hortatur ad pænitentiam, nihil profecit, hæc verba autem cùm diceret se ad infernum iturum, placido vultu ac si ad prædium iturus esset & breui rediturus protulerat, & ita obijt, subiungit deinde idem Card: Periculosam artem exercebat, erat enim Causidicus: Prædium talium est lingua, nec seminant, nec metunt, & tamen congregant, ita vt dum aperiunt os ad procurandum, aliena crumena aperitur ad soluendum; dum voluitur lingua, pecunia voluitur in sarcinam suam ab illo cuius causam agit. Septem peccata ponuntur Causidi-

ſidicorum Primum, cùm non eſt idoneus officiũ tamen exercet, Secundùm cùm defendit cauſam, licet ſciat eſſe iniuſtam, & tunc tenetur damna parti adverſæ reſtituere, Tertium qui perdit cauſam ſuæ partis iuſtam, ob notabilem ſuam ignorantiam vel negligentiam, Quartum qui ob nimias dilationes & illicitas, ſubordinationes teſtium notabiliter officit parti adverſæ habenti aliquam iuſtã cauſam, Quintum ſi aduerſario ſecreta ſuæ partis pandat, aut pauperi non ſubueniat, Sextum ſi ſtipendium immoderatum, aut ex eo quod non debet accipiat, aut aduerſæ parti faueat, Septimum, ſi conueniat de quota litis, vt dimidia, tertia, quarta, quod eſt iure prohibitum: vidimus no-

ſtrâ ætate hac, multos miſerè Cauſidicos extinctos. Ideò Chriſtum Dominum in ſua cauſa dum innocenter condemnaretur, nullum Cauſidicum adhibuiſſe conſtat, maluit cadere juſtiſſima cauſa, quàm opera talium indigere: Quinq; in Paſſione inueniuntur, Cauſidici non rogati à Domino nec conducti, Primus Iudas dixerat.
Matth. 27. *Peccaui tradēs ſanguinē iuſtū*, quia verò ante tradiderat Dominum, non admiſſa procuratio, furca ſalarij locò aſſignata, Secundus. Vxor Pilati *Nihil tibi & iuſto illi*, rejecta tanquam mulieris defenſio. Tertius Ipſe Pilatus.
Ioan. 18 *Nullam cauſam in eo inuenio*, Ipſemet poſtea retractauit ſententiam, & ex Cauſidico Iudex factus,
apud

apud nos ſunt multi Pilati, qui ex Procuratoribus Iudices fiũt, inde multa damna innocentibus naſcuntur, & cauſæ perduntur iuſtæ. Quartus. Latro. *Hic nihil mali geßit.* tuebatur perſeueranter cauſam Domini, verùm non auditus ab aduerſarijs, ſed à Deo, qui Paradiſo compenſauit defenſionem. Quintus, Centurio. *Verè filius Dei erat iſte.* Poſt mortem ſera declaratio. Ergo Saluator magis habuit contra ſe Cauſidicos, Iudam, Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, ex ſua parte nullum talem adhibuit. Verendum ne ab Electione Cœleſti eos excludat, qui enim non ſunt participes Paſſionis, non erunt glorioſæ Reſurrectionis. Etiam Iudicium Generale abſque Cauſidicis peragetur. So-

Luc. 23.

Matth. 27.

lus S. Iuo ex Causidicis in Calendario Sanctorum numeratur, additur tamen in eius vita, fuisse Causidicum Pauperum, iam raro auditur de talibus, sunt ferè omnes Causidici Diuitum, inueniuntur qui contra Ecclesiam licèt sint Catholici & Religiosos litem suscipiant. Detestandus status. Habebunt fortè Causidici in Iudicio Causidicos Dæmones, qui illorum causas malè defendent. Ita dum Christo absque Causidico Corona Spinea imposita esset, nullus defendit tam atrocem pœnam. Vtinam Spinæ Christi defendant Causidicos, facient certè si eis Causidici vtantur ad pœnitentiam.

CAPVT LII.

De Peccato Obedientiæ in peccando,

OBedire seruo maximè expedit Domino: Hinc Christus in Euangelio: *Non potestis duobus Dominis seruire*, id est obedire; qui ergo nouit Dominum faciliùs obedit, at si plures, difficilis erit obedientia; Vti summa est virtus obedientia cui debetur, sic maximum vitium cùm præstatur obedientia cui non debetur, maximè si contra Deum quale scelus? Obediuit serpenti Eua, & eiecta è loco deliciarum, nunc Dæmon rarò per se trahit ad obedientiam in peccando, sæpiùs per mundum, id est homines & carnem concitat, cùm enim Passione suâ Saluator alligaue- Matth. 6.

rit Satanam, ille peccat qui ad eum accedit, iam verò quis appropinquat Dæmoni? Itaque ille per homines inuitat ad peccandum: Plurima exempla, vti Ioab ex mandato Dauidis interfecit Vriam, Pueri Absolonis Amon occiderunt, Christo Domino instigatione Iudæorum, milites Coronam imposuerunt, & crucifixerunt. Mira obedientia Famulorum, Dominis iubentibus statim exequuntur mandata praua, interimunt, violant, adducunt ad consummationem peccati, & Deo non obediunt, benè dixit Dauid ad
Ps. 93. Deum: *Laborem fingis in præcepto*, fictus labor certè Dei, quid est laboriosum abstinere ab eo quod natura horret? Delictum carnis turpe, superbia vitæ detestabilis, concupiscen-

ſcentia oculorum abominabilis: Quin etiã ipſos peccatores pudet facere, & pudet audire, ſi ijs obijciantur eorum exceſſus. Dic tu alicui, tu es potator, tu es homicida, tu es effæminatus, non patitur, ſtatim ad conuicia, ad arma ſe proripit, & exiſtimat ſe poſſe defendere gladio à peccati ſuſpicione quod committit? Ridicula res potiùs abſtinendum, & contrarijs actibus appetitus reprimendus, quàm furiâ & armis: Licèt ergo Dæmon ſit ligatus, tamen plùs obeditur per eius inſtrumentum in peccando, quàm Deo in abſtinendo, qui extenſis brachijs expectat vt amplecti poſſit ſibi obedientem, qui non tantùm non eſt ligatus, ſed ſe alligat, coniungit homini per inſpirationes, per media ſancta, deniq;

per Venerabile Sacramentum, quá vnione non potest esse strictius quidquam; & tamen reijcitur eius obedientia. Deniq; præmium Obedientiæ à Diabolo, aliquando repudium à gratia Domini cui obediuit seruus, remorsus conscientiæ, & postea mors æterna sequitur. Deus verò obedientem sibi & gratiâ suâ & hominum glorificat, & æternâ coronat mercede. Certè in mundo, fidelis seruus gloriatur si ei plura præcipiat Dominus, tantò magis seruus Christi debet exultare, cùm mandata multa Dei hilari exequitur vultu; Definitur enim Peccatũ:
Bass. *Dictum, Factum, concupitum, contra legem æternam.* Ergo Obedientia Dei, è contrario, legi æternæ, dicto, facto, se accõmodat. Christus vt obedientiæ

tiæ peccandi grauitatem osten-
deret, Spinis coronari, & cru-
cifigi se voluit, innuendo id fa-
cere illos, qui obediendo alijs
peccant: peccârunt enim mili-
tes, cùm mandata Iudæorum
crudelia ad executionem dedu-
xissent. Hinc Dauid: *Ab occul-* Psal. 2.
*tis meis munda me, & ab alie-
nis* (delictis) *parce seruo tuo.*
Minùs est mundare quàm sal-
uare, aliena peccata sunt exe-
crabiliora, ideò sicut Dominus
delinquenti parcere solitus est
ex mera gratia, ita Deus inui-
tatur à Psalmista, vt parcat quia
mundari non possunt aliena sce-
lera, nisi per summam gratiam
parcendo: Reflectat quisquis
obedit alteri in peccando ad
Spineam Coronam Christi, &
cogitatione dolorem Spinæ cō-
side-

ſideret, vt ſic tandem reſipiſcere poſſit à fatali obedientia Domini vel potiùs Diaboli per ſuggeſtionem.

CAPVT LIII.
De Peccato Turpiloquij.

TVrpiloquium non decet bonos viros, quis enim fructus eſt niſi mera ex malitia offenſa diuina? Turpiloquium
Baſſ. ſecundum Baſſeum eſt, quando turpia verba proferuntur, ſcribuntur, & audiuntur, Ergo ſi fiat animo oblectandi de rebus ipſis turpibus narratis & objectis imaginationi, eſt peccatum mortale, vel ſi venereo affectu excipiatur, vel ſi cum ſcandalo circumſtantium, cum audientes ſint ſpiritu debiles, & non probatæ virtutis, & verba aut cantiones ſint valdè laſci-

sciuæ & inhonestæ, maximum incurritur delictum. Narrat Surius in vita S. Walerici Abbatis. Hic Rigente bruma, ædes Sacerdotis foco fouendus subierat, quem alijs quàm vellet calere ignibus sensit, Sacerdos enim & loci Præfectus vnà tũ fortè prãdentes venerẽ prætextatis verbis nominare ausi, cor Walerici dolore exussere. Abeunte Diuo, mox Dei vindicta subijt, Sacerdos oculis captus est, Præfectus lenta fædaque morte contabuit, longas ambo linguæ lasciuæ daturi pænas. Ideò ferè omnes religiones silentio gloriantur, sciunt enim in multiloquio inueniri posse turpiloquium S. Ber: scribit de quodam fratre, qui discere volebat & quasi in vsum reducere linguæ correctionem,

legi-

legitur quod per triennium lapidem portaſſet in ore: De alio verò quod triginta annos non fuerit locutus quidquam. Nam homini Chriſtiano præcipitur, ne turpiloquium vel ſcurilitas procedat ex ore eorum, Loquacitas enim eſt indicium impudicitiæ, & faciliùs cor ſermone inhoneſto ſauciatur quàm ſaciatur, ex natura enim fragili & ad malum prona inquinamur vanitate & captiuamur. Itaq; in tres partes diuiditur, vel turmas, turpiloquium: ſi quis dicat turpia, ſi quis cantet turpia, ſi quis legat turpia. Dauid nō admiſit in ſocietatē tales, in Pſalm:
Pſ. 100. *Qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorū meorū*, quaſi nec aſpectu dignum tanquam infamem iudicauit. Docuit etiam quid cantare debeat ho-

homo sensatus. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* obscenæ enim Cantilenæ dedecent maximè Catholicos: Legere etiam persuadebat. *Lex tua meditatio mea est*, Ergo est & lectio prohibita quæ sequitur meditationem. In Christi Passione non deerant turpiloquia omnino, præcipuè in illo Cellario Caiphæ, quæ scriptura reticet, certè inter Calones & lixas talia colloquia sæpè nascuntur. Et tunc cùm Spinea Corona Capiti Christi intruderetur, quando *Aue Rex* pronuntiabatur, alapæ infligebantur, turpiloquium non defuit; quia ergo ex capite peruerso talia verba obscæna prodeunt, & tanquam spinæ maculant cō-

sci-

ſcientiam, & aures honeſtas pungunt, ideò ſpinæ Domini Capiti infixæ: O execrandam talem ſocietatem, quæ linguarum ſonum emittit tantùm vt Deus irritetur. *Sepulchrum patens vere eſt guttur*, talium, Eorum linguam bicipitem appellare quis negabit, ex eodem ore frigidum & calidum procedit, & Dominis duobus ſeruiũt, cùm enim in templo orat, Dei ſeruus, cùm in familiari colloquio eſt, turpia narrat, Diaboli mancipium eſt; ſed oratio non tollit malitiam linguæ, potiùs Turpiloquium delet meritum Orationis, ſic ſemel accidit vt turpia euomens quidam, orationem tamen offerret feruidam ad Deiparam, quæ oſtendit Roſas pulchras in ſpurco vaſe oblatas ſibi diſplicere

cere si Colloquia essent de spinis Christi, turpiloquia cessarent. Has Saluator obtulit pro satisfactione Patri Deo vt extingueretur in Catholicorum cordibus fœdissima consuetudo peccandi linguâ.

CAPVT LIV.
De Peccato Mendacii.

ALia peccata multi euitant; nec illis subiacēt totaliter, A mendacio vix aliquis eximitur, Dauid dicit: *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax.* Psal. 115 Fortè varia delicta considerabat, & ita diligenter & accuratè vt quasi in ecstasi esset, & invenit omnem hominem mendacem, sciebant vniuersi veritatem de terra ortam, & tamen eâ relictâ ad mendacium magis properarunt, Christus ap-

appellauit ſe veritatem & illam docuit, *Sit ſermo veſter eſt eſt,*
Matth. 5. *non non*, Et cùm Pilatus interrogaſſet varia, maximè de doctrina & Regno; reſpondit Do-
Ioan. 18. minus. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*, Et pro veritate vitam amiſit, Ille ergo eſt Pater veritatis, Dæmon Pater mendacij, ſeduxit Parentes noſtros in
Gen. 3 Paradiſo *Eritis ſicut Dij* mendacio, Iudas prodendo Domi-
Mar. 14 num falſitatem commiſit. *Aue Rabbi.* Itane Magiſter appellatur & ad mortem traditur? Hinc exclamat Pſalm: *Filij ho-*
Pſal. 4 *minum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Quæ-

ritur ab hominibus mendacium vt vel colorare facta praua sua possint, vel complacere alijs, vel nocere. Diuidit quidam author mendaciũ in tres partes. *In perniciosũ. officiosũ, iocosũ.* Basseus de Mend.
Perniciosum dicitur, quod committitur intentione nocumenti alterius, officiosum dum intenditur bonum vtile alterius vel fuga alicuius damni, Iocosum appellatur quod causa voluntatis suæ vel alienæ dicitur. Christum Dominum mendacia perniciosa, officiosa & Iocosa condemnarunt. Nonne perniciosum fuit mendacium. *Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc?* Luc. 23
Quanta falsitas, Dominus pauit, docuit, & sanauit plurimos

mos & ipsi commotionem vocant? Officiosum, dum à Malcho funesta Alapa infligeretur
Ioan.16 Saluatori dixit *Sic respondes Pontifici?* Locutus est Malchus nequam, vt se in gratiam insinuaret Annæ Pontificis, percussit Dominum, qui modestissima proferebat verba: *Iocosum* verò cùm clamarent Iudæi
Matth.27 *Vah qui destruis templum Dei* & iterum *Si filius Dei es descēde de cruce*; Iocando proferebant Iudæi talia scommata, quæ postea re ipsa Redemptor vltus est, nam per Romanos destruxit templum, vt nec lapis super lapidem remaneret, & non tantùm descendit de cruce, sed & Resurrexit, & Crucem adorari ab omnibus voluit ad finem mundi: Existimo nullum pec-

peccatum leuius admitti quàm mendacium, nec pro delicto reputatur; vt compesceret Periander in Corinthijs mendacium inter alias leges hanc dedit. *Quisquis vir aut mulier in detrimentum alterius, mendacium dixerit, integri mensis spatio lapillum in ore gestato, non enim æquum est loquendi libertate frui, qui in mentiendo effrenis est*, Noster verò Dominus pro alienis mendacijs non in ore sed in capite, non lapillum verùm spinas portauit, veritatemq; deffendit tanquam Spinis pungendo mendacia veritate; Qui mendacio se inquinat ad veritatis Christi Spinas confugiat, inuenit tibi medicinam contra mendacium.

Hor. Princ.

CAPVT LV.

De Peccato Mercaturæ.

SI vllus ſtatus mendacijs auget peculium, eſt mercatorum. In diſtractione rerum mendacio & periurio adiuuant venditionem merciũ; vti Cauſidicorum ſic Mercatorum Sancti non occupant in Calendario locum, vnus ſanctus Homobonus inter Mercatores bonus nomini vitam reſpondere voluit, tum lucrum ſe feciſſe exiſtimans, cùm ijs qui vnde perſoluant non habent, pauperibus merces credidiſſet, plùs dando accipi quàm dari, tutiſſimum ærarium eſſe pauperum ſinum; quæ ergo Mercatura magis Lucrum numerat, quàm nummo cælum emere? Mercatorum vita eſt perpetua angu-

Sur.

ſtia.

ſtia. Propheta Ezechiel multis verbis deſcribit laborioſum ſtudium, quo Tyrus inclita vrbs congerendis vndique mercibus inſudauit ſic ergò Deus alloquitur Ezechielem: *Dices Tyro quæ habitat in introitu maris negotiationi populorum ad Inſulas multas*, Hugo Cardinalis expoſitione Myſtica ſub ſermone Allegoriæ pulcherrimæ nauis opulentiam & laborioſas mercaturæ curas depingit. *Tyrus eſt mundus qui eſt anguſtus & amaritudine plenus, Tyrus enim interpretatur anguſtia, Et tamen eius merces & negotiationes recipiũt populi & inſulæ multæ, id eſt ſeculares ac etiam Religioſæ perſonæ*, Ergo omnes homines ſunt Mer- c. 27.

catores, nam ideò Dominus
Matth. 13. dixerat. *Simile est Regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas Margaritas*, certè Mercatores ipsi præcipuè mercari debēt cælum, sed quod dolendum est potiùs infernum multò labore emunt, negotiantur & terrâ & aquâ vt victum & diuitias congregent, cùm verò nec terra nec aqua sit stabilis sequitur nec mercaturam esse firmam, immò plurimis periculis obnoxij sunt, latrones Corporis experiuntur in itinere, latrones animæ experientur in via agoniæ: O si mercaturam commutarent transitoriam in æternam, vti in Prouerbio sonat, ex palca posse confici aurum, Æconomia id docet; vtinam talem exercerent Mercatores respectu animæ; Christus Dominus Artifex est mercatu-

ræ hujus, lapidem Philosopho-
rum confecit, & iam Crux in
delicias, Spinæ in rosas, Tri-
bulatio in Consolationem ver-
sa, didicit id Eusebius Emisse-
nus dicendo. *Negotiator callis-
dus est qui ex ijs quæ diu possi-
dere nō potest, tale aliquid emit,
quod nunquā amittere timeat,
& in quo vniuersa possidet.*
E contra otiosi, mercatura No-
bili, ex mandato Dei se non oc-
cupāt, Continget illis quod Di-
uus Ioannes in Apocal: prædicit
*Vbi Glossa sic habet, negotiato-
res terræ flebunt & lugebunt,
quoniam merces eorum nemo
emet amplius* & cum Psalmista.
*Viri Diuitiarum nihil inuene-
runt in manibus suis*. Quare?
nam mercaturam spiritualem
negle-

neglexerunt, Talis mercatura est mercatorũ huius vitæ, etiãsi laborent nihil habent, dicendo.
Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis*, sine fructu: Saluator pro Spineâ Coronâ auream habet in æternum, id ipsum Sancti Mercatores spirituales imitati sunt. Emite Spinas Christi, lapis Philosophicus est conuertet omnia in aurũ & verum aurum.

CAPVT LVI.
De Peccato Temporis malè consumpti.

TEmpore nihil melius & nihil deterius, nam cælum & Infernus eligitur ab homine per tempus, vel benè collocatum, vel malè insumptum, Ideò Iure meritò Psittacus dicebat. *Tempus nosce*, qui nouit tempus, ille ita disponit actus suos,
vt

vt in Iudicio extremo, æternitatem felicem promereri possit, nihil in Iudicio examinabitur magis quàm tempus, simul enim mundus, peccatum, & tempus cessabunt, æternitas caret tempore, sed quot sunt qui magni æstiment tempus Benè aduertit Seneca dicendo. *Magna pars elabitur vitæ malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Epist. 1. Quot sunt homines peruersi, qui die & noctu non cessantâ sceleribus, & impuris actionibus, inde illis contingit, quod idem Philosophus affirmat. *Nullum tempus exceptum est, in ipsis voluptatibus causæ doloris inueniuntur,* Epist. 9. & iustè cùm enim tempus illicita conuersatione peragant, dolorem vicis-

sim

ſim eodem ſentiant tempore. *Maxima pars etiam nihil agentium*, in otio enim inſumũt; & otium otio alio expellunt, & peccato occupati, putant ſe non otiari; Sic Saluator ad vineam conuocat in foro otioſos, vario tempore & varijs diſtractos negotijs, otioſos ad laborẽ inuitat. *Tota pars aliud agentium*, Plurimi non contenti vocatione ſua, iugerunt ſe in alienas cauſas, ſeculares in ſpirituales, & è contra, & ſic aliud moliuntur, quàm eorum ſtatus eos informet, memoria retinendum S.

Gal. 6. Pauli dictum. *Dum tempus habemus operemur bonum*, Et Salomon diſtinguit tempora, quo quid agere debeamus. *Omnia tempus habent, & ſuis*

Eccl. 3. *ſpatÿs tranſeunt Vniuerſa ſub ſole*,

sole, tempus nascendi, tempus moriendi. Et prosequitur varietates tēporū tandē concludit. *Iustū & impiū iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit*, id est finietur tempus, vel in particulari vni, vel omnibus in Generali Iudicio. Accomodatè S. Bernardus de tempore ait. *Nihil pretiosius tempore, sed heu nihil hodie vilius æstimatur. Transeunt dies salutis, & nemo recogitat, sibi non reditura momenta perijsse, causatur. Omne tempus in quo de Deo non cogitas hoc te computes perdidiße. Omnis siquidem res aliena est à nobis, tempus tantum nostrum est.* Hoc sibi inculcare proponat viuens homo, c. 20. de Temp.

nimi-

nimirum magni æstimare debet tempus quod aliquando, in verbis otiosis, inhonestis illicitis, scandalosis cõsumit, cùm tempus vitæ nostræ acceptabile deberet esse Deo, volat verbum sæpè irreuocabile, volat tempus irremeabile, nec tamen aduertit insipiens quid amittat: Docuit nos Saluator tempus in summo habere pretio, cùm illud nunquam otiosè transire permiserit, die & noctu, in Oratione, prædicatione, & sanatione, in miraculorum declaratione, in fatigatione decurrens. Quod magis, Passionis fuit tempus absq; otio, ab ipsa comprehensione in horto, vsque ad vltimum halitum tempus crudelitate peractum, & post flagellationem, ne tempus ministri feroces perderent, cru-

entam Coronam Spineam in Caput intruserunt Domini Nostri, Christus autem perseuerauit ad verbum *Consumatũ est*. Si ergo tempus voluptatis tantùm afferet homo coram Iudice supremo, si Spinæ Compassionis Christi non apparebunt, licet consumatur talis morte, non consumetur in Inferno. Si verò sub Capite Saluatoris spinoso aliquis tanquam membrum eius spinis doloris Domini supponet proprias, consummato vitæ non otiosæ tempore, æternitatis laureâ decorabitur.

CAPVT LVII.

De Peccato Iactantiæ in Peccando.

QVi laudari seipsos desiderãt, in quadruplici sunt differentia, potissimum, vel ob res præclarè gestas, vel ob bona

mul-

multa præstita opera, vel ob scelera perpetrata, vel ob complacentiam sibi ipsi in rebus à se factis, vel dum gloriantur in offensa Dei eum offendendo, & hic est superlatiuus gradus peccatorũ, vti sapiens loquitur qui *Lætantur cùm malè fecerint,*
Prou. c. 2. *& exultant in rebus pessimis, quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum.* Deberet esse separatus pro talibus Infernus, nam in Inferno non iactant sua peccata, sed blasphemando in æternum detestãtur, in Cælo laudant Deum sancti, quod erepti fuerint à pæna peccati, vbi ergo tandem erit locus Iactantium se in peccando? peiores sunt Iudâ, quia hic post vẽditum Christũ dixit, *Peccaui tradẽs sanguinẽ iustũ,* Ergo non gloriabatur in delicto

cto, peiores Cain qui occiso fratre, locutus ad Deum. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, Non laudabat se sed desperabat commisso peccato, qui ergo licet verè licet falsò, gloriantur se malè fecisse, exhauriunt misericordiam Dei, cùm vt quidam Doctor putat peccatum si posset, in nihilum conuerteret Omnipotentiã Dei, ergo certè laus in peccatis præcipuè hoc nititur vt omnipotẽtis potentiã qui subitò perdere potest, extenuet, misericordiam eius contemnat, iustitiamq; deneget; Prorsus iactantia peccati facti, euertit omnia dona Dei mundo præstita, & peiores sunt tales iactatores ipso Dæmone qui non lætatur ex malè facto, licet non pæniteat nec doleat, & homo lin-

Matth. 27.

Gen. 4.

Oson.

gua mordaci, non veretur laudem inde quærere Vnde propter ſolam turpitudinem peccati, dixit Creator. *Pænitet me hominem feciſſe*, Abutitur ergo creatione hominis cũ linguã, quã vt cũ S. Ber: loquar.
S. Ber. de ling. *Ad agendam pænitentiam, ad obtinendam veniam, ad gloriam promerendam, miſeratio Conditoris indulſit*,
118. laudator peccati illâ contra Deum inſurgat; euertit talis beneficiũ Redẽptionis, dicit Pſal: *Redime me Domine & miſerere mei*, Quomodo laudator peccati id pronuntiare poterit, qui non curat de miſericordia? Tollit iuſtificationis donum. Rex
Pſ. 118. pænitens optat. *Eructabunt labia mea hymnum cùm docueris*

eris me iustificationes tuas, Et laudator peccati, labijs eructat delictorum voluptatem? negligit felicitatẽ glorificationis. Cytharedus Coronatus ait. *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ps. 19. Et laudator peccati cum quali apparebit iustitia? & tamen comparere debebit, Tunc veriùs Dæmones gloriabuntur de illorum peccatis, ipsi verò deflebunt lacrymis nunquam cessantibus, absq; spe veniæ, in Inferno de peccato exultationem, Conuertet Christus Spinas suas in viscera eorum, eosque perpetuæ damnationis sententiâ condemnabit dicendo per Regium Prophetam: Psal: 2. *Qui habitat in cælis irridebit*

eos,

eos, & Dominus subsanabit eos, Loquiturque ipse Iudex verbis Prou. 1. Salomonis. *Ego quoq; in interitu vestro ridebo* in æternum.

CAPVT LVIII.
De Peccato Præsumptionis in bonis Operibus.

PRæsumptio est sæcularis & spiritualis, sæcularis est adinstar superbiæ, videri & cognosci potest faciliùs, & ipsemet ostendit se esse fatuū, cùm quod non habeat à se sed à Deo, sibi vendicet, spiritualis verò præsumptio est occulta, astuta, inuisibilis, decipiens præsumentem & astantes, soli Deo nota, intrinseca cordi, cuius clauem Creator tenet, aperit & contemplatur, vltimum & fortissimum telum aduersarij, quo

præ-

præcipuè contra perfectissimos & sanctissimos vtitur Dæmon, S. Bernardus aduertit hoc vitium, & his verbis exprimit illos, qui fictè profitentur bona opera, præsumptionis morbo laborantes. *In imo iacent, Vident tamen omne sublime, & in sordibus satagunt vt fulgeant*, prorsus omnia bona opera euertit præsumptio, & Diabolus tentatione tali, impetit victores omnium vitiorum; vt in vita Simeonis Stylitæ legitur, qui cùm in columna per multos stetisset annos, neque orci cessisset insidijs, indoluit hostis, & dolis quos habet vsus, in flammantem currum, non iam Simeonem sed alterum Eliam inuitauit, Nec malè profectò cessit astus, verùm cùm altero pede iam extenso, Sacrum Crucis si-

Epist. 126.

Sur. in eius vita.

gnum efformasset in ventos scilicet & in Infernum non in Cælos cum pessimo auriga abijt cursus: At Simeon vt eadem pæna, & se & hostem stultum iret, vno vt erat tum pede, annum solidum perstitit: Nec caret alijs exemplis præsumptio, quæ tenentibus brauium cæleste, è manu eripuit; summa stultitia adscribere id sibi, quod alienum est, hoc ipsum & Sanctus Paulus reprehendit. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Opponitur certè spei Theologicæ, secundùm excessum peccatum præsũptionis, quod duplex est. *Vnum.* Si quis confidat se Dei gratiam aut beatitudinem æternam consecuturum ex seipso,

Ad Cor. 5. 4.

Bass. D.Thom. Aquin. Filluc. & alij.

aut

aut naturæ suæ viribus, cùm tamen id creaturæ facultatem excedat, & hæc fuit hæresis Pelagiana: *Alterum*, si quis remissionem peccatorum sine operibus pænitentiæ, aut cælestem gloriam sine proprijs meritis, ex Dei gratia factis se cõsecuturum confidat, & hic fuit error Lutheri: talis præsumptio est propriè species peccati in Spiritum Sanctum, qui enim pænitentiam & meritum bonorum operum excludit, impedit quominus Deus ipsi per Spiritum Sanctum peccata remittat, vel gloriam æternam tribuat, Anima post mortem tanquam sagitta maximo impetu in scopum fertur, si in medio itinere obijcias grandem lapidem, in illum impacta confringitur, & in minutissimas partes diuiditur:

quo impetu anima è Corpore e-
gressa, in Deum feratur, dici
non potest, quia Deus illius est
centrum naturale, & eam im-
pellit gratia & charitas: obijci-
tur ei in media via lapis præ-
sumptionis, confringitur dolo-
re vehementissimo, & in mille
dissecatur partes, eo modo quo
Spiritus scindi potest, cùm om-
nibus vitijs separatis, sola duri-
ties præsumptionis impedit ac-
cessum ad æternam Dei visio-
nem. Quantopere fugiebat sal-
uator præsumptionem, licet
bonitas esset ipsa ex essentia,
abhorrebat tamen à præsum-
ptione, & vt illam è cerebro
mortalium eliminaret, & palàm
iactare prohiberet, Spinis cere-
brum perfodi curauit, emine-
bant illæ & extra & intra, pun-
gebantque acriter, causa inter
alia peccata præsumptio, quod
pror-

prorsus detestandũ peccatũ, nã robustissimos & triarios, vt ita dicam in militia Christiana uicit, sumendo hostis animæ ex ipsis virtutibus arma, quibus debellat victores: Præsumptuosi si qui estis accedite ad Spinas Christi, considerate Vulnera, inuenietis remedium, spinis illius, spinas præsumptionis humiliate, Deo omnia attribuite, dicentes cum S. Rege. *Non nobis sed nomini tuo Domine da gloriam* omnia opera bona à Deo, omnia peccata à nobis, sic opprimitur præsumptio. Psalm. 113.

CAPVT LIX.
De Peccato Aulæ.

VOlumine non pagella indigerent agmina peccatorum Aulæ, hoc magis mirandum peccata virtutibus simula-

tis

tis contegunt & apparenter ostentant; Duo tantùm sumam ex tanto numero, *Contemptu diuitiarum gloriantur & Paupertatem profitentur.* Quid ni contemptus? dum abliguriunt minima occasione & turpi aurum? proijcitur in mensa absq; honore, etiam sub mensa colligunt primi & feliciani, distrahunt leui de causa, & inde semper noua pecunia indigent, nam antiqua euanuit; de thesauro congregando nulla cura, de die in diem procurant tantùm victum & amictum. Paupertas ergò sequi necessariò cogitur, immò in diuitijs pauperes se esse declarant, quia quod pauperibus dent non habent, Et si antea liberales erant, aula parsimoniam persuadet erga egenos, vnum apponam exemplum,

plum, de Daniele Abbate fertur. Hic cùm Eulogjum Latomum animaduertisset in inopes præ alijs pium, precari apud Deum institit, plures opes submitteret tam bene prodigo; Deus annuere est visus, si pro Eulogio spõderet diuitias fraudi, morum integritati non futuras, conuenit, spopondit Daniel. Igitur Eulogius cum saxis eruit thesaurum, ad aulam abit, honores mercatur, struit palatia, emit mancipia, splendidè ac lautè victitat. Adest Daniel officij sui amicum commonefacturus, sed surdam ad pauperis vocem, ianuam reperit verberibus pro stipe oneratus. Anxius proinde cùm â Christo Crucifixo exolui vadimonio postularet, annuit filij nomine Magna Mater, mox etiam filius ipse, ea lege, ne simile

mile posthac vadimonium faceret imprudens: Interea Eulogius mortuo Imperatore honorum fastigio opibusque omnibus, excidens, in latomias suas postliminiò deuoluitur, mox cum paupertate pauperum amor & unà virtutes ab exilio reuocantur; Tam malè vitæ sanctitati cum aula, tam bene extra eam cum paupertate conuenit, optimè quidã ait *Exeat ex aula qui pius esse cupit*. Nunquam fauet viris perfectis aula. S. Ioannes Baptista præmium ab aula tulit execrandum, cùm adinstar ferinæ, caput in disco mensæ apponeretur. D. Petrus in aula negauit Christũ, ab ancilla territ⁹, & quia plures ancillæ in aula, ideô multi Petri negant, quid? ipsi sciunt Saluator autẽ quid non passus in aulis? Apud Annam alapâ ferreâ
per-

percussus, apud Caipham malefactor declaratus & in spurcissimo Carcere vel Cellario inclusus, Apud *Pilatum* primò pro turbatore & vsurpatore proclamatus, apud Hærodē pro stulto habitus, denique redux ad Pilatum, & flagellatus, & coronâ spineâ per ludibrium ornatus, ac tandem iniusto iudicio condemnatus; Descripsit versutiam aulæ competentissimè S. Greg: Mundi sapientiam appellando quæ in aula eminet maximè. *Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ verá sunt falsa demonstrare.* Et prosequitur alia, ad quæ lectorem remitto, vno verbo diuinè appellauit. *Aulicam*

vitam

vitam ſplendidam miſeriam, adinſtar veſtis quæ extra ex pretioſa materia eſt confecta, at ſubtus pannus craſſus apparet, oſtendit id verum eſſe redemptor, dum ſpinis coronari Sanctum Caput ſibi permiſit, Quid ſplendidiusCoronâ? quid abiectius ſpinis? quid glorioſius auro? quid magis pungens Spinâ? Dolendum, in aula vt dictum eſt impoſita Chriſto Spinea Corona, procul ergo abſit aulâ, vel qui in ea verſantur ſæpe meditentur de Spinea Domini Corona, Hi veré ſplendidam geſtabunt ſpinarum in aula miſeriam, & incælo ſplendidam veri auri affluentiam.

CA-

CAPVT LX.

De Peccato Prodigalitatis.

PRodigalitas est vitium ferè Iuuenum, sed hoc mirandum, licet omnia alia peccata oppositam habent virtutem è diametro contrariam, prodigalitas non tantùm virtuti liberalitati se opponit, verùm etiam auaritiæ est inimica, & differunt inter se, Iuuenes prodigalitate delectãtur & publicè indulgent genio, & dum peccant non verentur. Hinc Propheta loquitur. *Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut Oryx illaqueatus pleni indignatione Domini increpatione Dei tui*, Isaie: 51. sic bestia illaqueata omnibus transeuntibus est manifesta, &

omni-

omnium patet injurijs, ita iuuenis publicè peccans, omnia delicta admittit, & videri ab hominibus non erubescit. Hinc apud S. Lucam parabola de filio prodigo exprimit iuuenilia peccata. Auaritia potissimum est senum vitium, hi tacitè congregant aurum, negant pernegant se habere, serui sunt mammonæ tanquam Deum colunt, omni cogitatione, labore, sudore, sollicitudine, obsequium præstant. Aduertit Ecclesiastes,
c. 10. *Lignum offensionis est aurum sacrificantium, væ illis qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in eo.* Prodigalitas celerrimè dispergit bona, etiam ante mortem iuuenum, Auaritia coaceruat vsque ad mortem, & senes ad sepulchrum comitatur. Prodigalitas medita-

ditatur præsentia tantùm. Auaritia futura considerat: Prodigalitas lætatur dum expendit, Auaritia exultat accumulando argentum. Neque hoc prætermittendum habere peccata tanquam filios vtrumque suppositium vnum, alterum verum, in quo conueniunt, Prodigalitas generat hospitalitatẽ, notha filia, quia non ipsius est, sed virtutis liberalitatis, opinione tamen hominum vsurpat sibi prodigalitas; legitima verò filia prodigalitatis est paupertas misera, ad distinctionem miserà appellatur, quia paupertas ex liberalitate procedens propter Deum & proximum est honesta, & laudabilis. Ex auaritia, prudentia, & prouidentia de futuro nascitur, illegitima etiam est filia; liberalitati id tribuendum hæc est circumspecta,

dat

dat vbi conuenit distribuere virtuti; Propria filia Auaritiæ est paupertas imaginaria, prodigus non dat, quia non habet, Auarus non dat quia imaginatur se non habere satis, nonne exempla sunt, quod Auri fame sint mortui, itaque ibi adest paupertas diuersimodè à prodigalitate, in dando concor-
Psal. 75. dant vti Dauid, *Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis.* Et ideo eandem procreant diuersimodè paupertatem; In bilance ergo, liberalitas consistit, si attollatur leuis prodigalitas euanescit, si deprimatur, grauis auaritia ad centrum tendit: Certè omni sæculo comparet prodigalitas, cùm dona & bona quæ à Deo concessa sunt, ad vitam honestè peragendam prodigus celer-

celerrimè absumit, maximum vitium, nam in fine vti ille, filius prodigus seruit porcis, & esurire siliquas egestate compulsus est, si in hac vita ita punitur prodigalitas, quid in alia æterna? verè & ibi pascentur porci Dæmones, & siliquis, flãmis videlicet saturabitur, si tamen satiabitur prodigus: Christus vt tolleret prodigalitatem, vt ex malo latrone bonum effecit, sic prodigalitatis vitium correxit, prodigus fuit vitæ & sanguinis, vt ditaret genus humanum, in Passione omnia distribuit: Discipulis reliquit gratiam miraculorum, Matri filium Ioannem, & Matrem illi vicissim, vestes militibus, Latroni Paradisum, Petro pænitentiam impetrauit: tandem sanguinem totum effudit, & post mortem reliquias Cruoris S.Ber:

ape-

aperiri permisit, etiam ne caput immune esset plurimis aculeis Spineæ Coronæ affligi voluit, talis vindicta sumpta à Christo contra prodigalitatem, hinc effectus secutus multi eorum, qui cum propriam substantiam abligurire non erubescerent ad paupertatem redacti, Religiosam induerunt paupertatem vnde etiam prouerbium emersit. *Desperatio facit Monachum*, sic secundum Deum desperatio vel potius contemptus mundi perfectum reddet Religiosum, Talis prodigalitas laude digna.

CAPVT LXI.

De Peccato Luxus Vestium.

PArs prodigalitatis est luxus vestium, Ex peccato Origo & inde magis declinante ad mali-

malitiam mundo auctum delictum, nuditas tecta fuit à Deo in Paradiso: *Fecit eis tunicas pelliceas*: postea ex necessitate fecit homo vitium non virtutem. Et sicut superbiâ falsâ deiecit serpens virtutem obedientiæ in parentibus nostris, ita crescente ætate in vestibus reliquit fomentum superbiæ idem Pater peccati; Ac sicut vterque homo in Paradiso, sic vtriusque sexus posteri labe superbiæ infecti retinent vestigium etiam in amictu, Immò eò vsque progreditur luxus, vt dignoscere difficile sit masculum & fæminam, Cincinni creduntur esse in fæminis, iam viri eis ornantur, vicissim vestibus breuioribus & sui sexus debitis viris fæminæ vtuntur, Quod magis, Deus nuditatem iussit tegere, & nunc Gen. 3.

X ostendunt-

oſtenditur nuditas, gloria voluptaſque inde quæritur, ſi non inuitatur etiam peccatũ, Chriſtus in Euangelio pro impoſſi-
Luc. 12. bili ponit. *Quis veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum*, modò ſtatura creſcit calceis, & alibi eximiæ magnitudinis apparent fæminæ veſte ſuppoſitam altitudinem cooperientes. De virorũ luxu in veſtibus multi expreſsè tradiderunt reprehẽdentes infamiã noſtram Eccl.
Eccl. 11. *Non laudes virum in ſpecie ſua neq; ſpernas hominem in viſu ſuo, breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius, in veſtibus ne glorieris vnquam*: Non minùs
Homil. 2. In Epiſt. grauiter dicit Chriſoſt: *In amictu*

amictu ne glorieris, tineæ enim hac te gloria priuabūt, gloriaris in re quā vermes & gignūt & perdunt; Nec mulierū idem sanctus oblitus, quarum non tantùm vitam immò & orationes ridiculas iudicat quæ auro intortis crinibus, ac veste pretiosa margaritisque ornatā Ecclesiam adeunt his verbis, *Accedis* videlicet mulier *obsecrans Deum & circuminduis aurum? Num saltare venisti? Num nuptijs participatū? Num ad pompam? id est spectaculum accesisti? Qualiter potes gemere, qualiter lacrymari, tali schemate circumincluta? Etsi lacrymata fueris derisio erit videntibus, hypocrisis est, cùm ab eadem men-*

te à qua tanta phylotomia id est amor honoris nata est, lacrymæ effunduntur? Confirmat Tertullianus *studium periculosissimi decoris elaboratæ libidinis est suggestum.* Prorsus vel ex excrementis vermium vel pellibus animalium dum vestimur & superbimus & scandalum ponimus, Dei sequitur offensa, præcipuè tamen purpura ad ornamentum, quam color efformat, regalis vestis, in hac & Reges gloriantur. Rex ergo noster Christus, factus propter nos, non tantùm homo, sed vermis, vt Propheta nominat parauit nobis purpuram pretiosissimo sanguine suo colorando, cùm in Passione nulla vestis ei fuisset accomodata, immò etiam in ludibrium abijt, Dicente S. Laurentio Iust: ad illā

Lib. de cultu mulier.

ver-

verba Christi. *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt, vbi oro mutato habitu illusus est Christus? Nonne in domo Regis Hærodis & Pilati præsidis,* Itaque nouam vestem confecit, ad eam induendam inuitat Paulus. *Induimini Dominum IESVM,* & vt in vera purpura appareret, tanquam Rex, diademate conformi cinctum caput, elaborata purpura mille tincturis, neq; his caruit Corona spinea, vel potiùs caput oneratũ. Deponite mortales vestes luxu cõfectas, Regem sequimini redimitũ & veste & Coronâ purpureâ, configite Spinâ Christi exuberantẽ lasciuiam in vestibus, vnum vos manet vel amoris reciproci Saluatoris Spinis nunc cõfigi, vel doloris Cruciatus æterni Spinis torqueri eligite.

CAPVT LXII.
De Peccato Fuci Mulierum.

VEstibus ornati dum cum offensa Dei tegunt corpora mortales, faciem obducere serico non possunt, quid ergo arte maligni artificis excogitarunt præsertim fæminæ, (& fortè alicubi etiam viri) fuco addunt venustatem, & quasi emendare cupiunt, quod Formator approbauerat. Egregiè S. Ambrosius refutat hanc impietatem, dicens: *Pictus es homo à Domino Deo tuo, bonum habes artificem, noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cerusâ sed gratia. Dic mihi, si supra artificem aliquem inducas alterum qui opus illius superioris, nouis ope-*

operibus obducat, nonne indignaretur ille qui opus suũ adulteratum esse cognouerit? Noli tollere picturam Dei, & assumere picturam meretricis, graue enim est crimen ut putes, quòd melius tu homo, quàm Deus pingat. Confirmat aptè Tertullianus: *Quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitiâ transfigurauit? ille indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, ut in nobis quodam modo Deo contumeliam inferret. Quod nascitur, opus Dei est, ergo quod fingitur diaboli negotium est. Diuino operi Sathanæ ingenia superducere quàm scelestum est.*

Verè

Verè & meritò fucus vocatur, fucum inducendo oculis, dum fœminæ, nigros capillos, flauos, viri senes, albos nigros reddere nituntur, dum macilentas & pallidas genas rubro colore superinducunt, dum cutim flaccidam albedine apparenti aspergunt, ne scientes peccati primorum parentũ effigiem coloribus exprimunt. Serpens in Paradiso ita seduxit Adamũ cum Eua: *Eritis sicut Dij.* non propter adorationem & eleuationem solij, vti Lucifer præsumebat cũ multa millia Angelorum simul creata essent, voluit ergo adorari. In Paradiso nullus homo adhuc erat, à quo adorari voluissent incolæ eius. Ergo addidit Deceptor: *Scientes bonũm & malum.* Bonum quid est nisi pulchritudo, iuuentus,

Gen. 3.

tus, ætas firma, malum, deformitas, senectus, ægra valetudo tales nunquam fucos adhibent, atqui peiora bona habent, vellent ea semper retinere, cùm non possint fuco supplent. Ergo effigies decepti hominis reuirescit. Ampliùs considerandum, nonné pomo illecti Parentes deliquerunt? Quid fæminæ colore rubro in genis exprimunt nisi picturam pomi rubei coloris figura circulari? Et post peccatum cùm se occultassent, nec Dei conspectui comparere constituissent, murmurando tantùm & inuicem culpam adscribendo, quid? nonné pudore suffusi id fecerunt. Erubuerunt itaq; vultu purpureo, iconem peccati declarando fœminæ fuco loco pudoris gloriã, laudem quærentes, ignaræ detegunt

tegunt facinus in Paradiso commissum: Cauendum omni sexui vitium, præcipuè in statu Coniugij, vbi placere tantùm marito & vicissim sibi iubentur. Ideo S. Doctor concinit:

Cle. Alex. Pedag. 10 *Quæ fœmina immoderato studio ornatus tenetur, & à Deo & à pudico coniugio excedit, vt quæ maritum ornamento*

cap. 1. *permutet*. Et alibi idem: *Ea quæ à fœminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ detrahendæ sunt.* Christus Dominus fucum abolendo sacratissimam faciem sputis tanquam albedine, rubro colore videlicet sanguine, Spinis tanquam penicillo vsus, tanquam Cyprio puluere liuore conspersus apparuit, at proclamatus

non

non Homo, nam Pilatus per ironiam dixit: *Ecce Homo.* Sicut ergo oculus humanus, fuco in Capite & facie Christi viso, non hominem proclamauit, ita in Iudicio dum de fuco mulieres accusabuntur, ab accusatore fratrum, DEVS non homines sed Diabolorum socias in æternum declarabit. Potiùs fœminæ cum SS. Virginibus odoramenta & fucos ad sepulturam Christi coëmite, id est pauperibus in quibus est Christus, fucos pro vita alenda distribuite. Ioan. 19

CAPVT LXIII.
De Peccato Chorearum.

ETiam ad Choreas conueniunt & Luxus vestium & fucus mulierum, & si quando magis ornantur. Licet enim indifferens sit actus saltandi, tamen

men sæpius inclinat citiùs ad occasionem peccandi; Choreæ rariùs honestæ inueniuntur, quæ verò differentia sit inter honestas & inhonestas, faciliùs ex definitione patebit, Choreæ sunt cùm perambulatione & cõuersatione virorum & mulierum absque suspicione offensæ diuinæ tempus consumitur. Inhonestæ dicuntur cùm saltatione lasciua ad scopum Luxuriæ motus & actio dirigitur: Id etiã S. Augustinus asserit, dicens: *Omnis motus petulantiæ est saltus in profundum Inferni.* Et S. Bernar: in persona Christi: *Ego te acquisiui manibus Crucifixis, & tu consumis te ipsum manibus Diabolo dedicatis.* Et Sapiens admonet: *Cum saltatrice ne aßiduus sis, nec audias*

illam

illam ne fortè pereas in efficacia illius, Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienã: propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Vbi maior occasio quàm tempore quo ducuntur Choreæ? Et Sapiens quid diceret de inhonestis saltibus, qui hodie in mundum irrepserunt? Abusus est intollerabilis. Quidnam homo vel mulier inhonestè saltans est, nisi simulacrum Priapi, sit exemplo Rex Azar, qui *Matrem suam ex augusto deposuit imperio, eò quòd fecisset in loco Simulacrum Priapi;*

quo

quo facto docemur eos vili pēdere, qui huiusmodi saltibus delectantur. In talibus saltibus conueniunt quasi omnia vitia, adsunt septem peccata mortalia, quinque sensus non otiantur, insufflante Magistro Cerimoniarū Diabolo tempore chorearum. Intueamur saltum Hærodiadis, cuius merces caput fuit Præcursoris Christi, potuisset ne alio modo impetrare ab Hærode illud nisi per choreas? non; Insidiabatur pellex fratris Philippi vxor Ioanni, quærebat vt tolleret eum, nullum aliud medium nisi saltus inuentus. Et apud nos quæ cædes committuntur occasione chorearum? Saltus est nihil aliud quàm insania quædam, placere tamen solet, quoniam sono qui est in Musica conuenit ac con-

for-

formatur. Si nunc ingrederetur saltans, diceres eum amentiâ correptum, & si cum Cythara pulsante quis saltat, iucundũ dat spectaculum, quia sono aptatur motus saltantis, licèt huc illuc moueat pedes, manus, corpus, quasi insanus. Hinc Amos: *Videte insanias multas quæ sunt in medio eius*, Amos 3. fortè de Choreis intellexit. Itaque Saltatoribus hoc accidit, quod scribitur de Ciuitate Geris in Italia, hi ita delicijs dediti fuerunt, vt docuerint equos saltare ad sonitum fistulæ; Cumq; hostes aggredi voluissent, ipsi fistulas pulsauerunt, & equi saltare cœperunt, nec in hostes irruerunt, ideo vastati sunt. Sic accidit hominibus choreis deditis, qui tempore pugnæ (nam cùm vita hominis militia sit su-

per terram) in vita quando deflere peccata debent, ſaltare ſolent, & delicijs ſe tradere quibus aſſueti ſunt. Saluator diuerſos ſaltus inuenit, ex horto ad Annam, Caipham, Pilatum, Hærodem, demum cum Cruce ad montem Caluariæ, ſudauit ſanguine: & vti in vſu eſt, quando ſaltus celebrantur, propter puluerem aquâ tellus aſpergitur, & ſic ſedatur; Ita, ſi puluis vanitatis & obiecti faſcinat oculos, & ad luxuriam concitat, meditatione Sanguinis Chriſti vtamur optimo remedio, diſpergetur vanitas mundi. Aperiuntur etiam feneſtræ vt exeat puluis in choreis; Aperiamus & nos feneſtras oculorum, & ſpeculatiuè intueamur oculos Chriſti velatos ſanguine, qui ex Spinis in faciem & lumina deflu-

defluxit, cessabit motus petulantiæ, & Spinæ Christi impedient cursum Chorearum, ex Capite eius ad pedes nostros imaginatione delatæ.

CAPVT LXIV.
De Peccato Complacentiæ in Pulchritudine.

IDea est pulchritudinis, immò ipsa essẽtia pulchritudinis Deus, creauit ergo in homine pulchritudinem, tanquã vmbram quandam sui decoris, homines verò non viso Creatore, sæpe ad visam pulchritudinem oculos conuertunt nescientes vel si scientes, nolentes ad pulchritudinem Diuinam referre, in creaturis hærent & decipiuntur propriâ & aliorum formâ. *Pulchritudo enim est temporis & morbi ludibrium*, & S. Chri-

ſoſt: appellat. *Pulchritudinem Gypſum ſepulchri*, Hæc non conſiderãt, cùm ſæpe Corporis pulchritudinem plerumque animæ deformitas comitetur, ſub cryſtallina ſæpe glacie, cænum latet voraginoſum, in muro polito naſcitur coluber horrendus interiora dentis Candidi moleſta terebrat ſcabrities, quò pretioſior pannus, hoc maiorem edit tinea ſtragem, quò ſubtilius linteum, eò magis à blattis corroditur, quo feracior arbor, eo magis â verme infeſtatur, hoc eſt ſub corpore nitido facieque perpulchra, multa latent & horrenda vitia, nam *Forma aliena eſt libidinis incitamentum*, quæ poſtea dignitas pulchritudinis, *aut morbo defloreſcit aut venuſtate ex-*

tin-

tinguitur, immò formæ nitor vernalium florum mutabilitate fugatior; Et Sueton: *Nec gratius quidquam decore, nec breuius*; Socrates vocat *Pulchritudinem modici temporis Tyrannum*. Laqueus nimirum est extensus ad capiendos oculos & corda. In Genesi de creata Eua Moyses dicit: *Ædificauit in mulierem*, Idem verbũ quod apud Hebræos significat ædificare, sonat etiam aucupandi instrumentum, maximè rectè volantium, illa ergo in vulgari, ædificauit in mulierem, vertunt quidam: *Fecit in rete*. Ergo Mulier quid aliud est in venustate sua nisi rete? Et prisci Venerem effingebant rete venatorium tenentem, cum tali

Gen. 2.

inſcriptione, *Dea Machina-trix*, quod refert Pauſanias, vt in Venere ſignificarent fæminas omnes formâ ſuâ, quaſi tenſa retia ſe habere homines implicantia; Patuit in Ioſeph venundato Ægyptijs vbi quaſi Phraſi loquitur ſcriptura, *Iniecit* ait
Gen. 39. *Domina ſua oculos ſuos in Ioſeph*, forſan oculos extendit vt illaqueet, Iniecit inquit Textus, quod proprium eſt venatorum, expreſſit eodem modo loquendi Ambroſius *Non iſte cepit incautam, ſed illa retia ſua miſit & indagine ſui capta eſt*; Nam cùm ſibi in pulchritudine complacent, vel alios capiunt, vel volunt vt ab alijs capiantur, viri à fæminis vel viciſſim, ideò
Prouerb. 6 ſapiens *Nec capiaris nutibus*

illius

illus, alii ex Hæbreo *Et non te capiat in palpebris tuis*, Audiamus dicentem S. Ambrosium, *Illa igitur meretricio procax motu, infracto per delicias ingressu, nutantibus oculis, & ludentibus iacit palpebris retia. quibus pretiosas iuuenum animas capit, faciens iuuenum volare corda*, At qui mederi vult & retia euadere, cogitet, quod Sanctus Ephrem. scribit. *Inclinemus nos, & oculos in sepulchra deijciamus, & naturæ nostræ mysteria cognoscemus, confusos & permixtos oßium aceruos, & Caluarias carnibus exutas intuebimur, Hæc intuentes, nos ipsos tanquam*

in speculo contemplabimur. Videbimus & nostras & aliorum pulchritudines versas in turpitudinem & fætorem. Christus Dominus ex traditione aliquorum dicitur Crucifixus in eo loco, vbi Parentes Nostri sepulti erant, vt sepeliret omne peccatum, & in Caluariæ loco Caluarias eorum detexit, ac pulchritudinem quondam, ostendit nullam fuisse, sic & nobis accidet omnibus, Saluator ergo infra, cruce cooperuit ossa, superiùs Spinea Corona texit, quæ omnino abstulit à facie Christi omnem decorem. Licet esset speciosus præ filijs hominum, tamen tum amisit splendorem, cùm Corona Spinea apparuit in Capite Redemptoris, si ergo te tentatio pul-

chritudinis inuitat ad peccatum, duobus remedijs vtere; Primò mors & Christi & omnium & tua veniat in memoriam, disce à mortuis rectè vivere, Secundò occurrat tibi etiam Dominus noster cum Spinea Corona, pungat te saltim vna illarum, quæ reddidit non formosum Christum, & te reddet contemptorem vanæ speciei, ad æternam potiùs pulchritudinem anhela.

CAPVT LXV.
De Peccató Voluptatis.

ORdinationi Diuinæ Voluptarij resistunt: Ad laborem condemnatus homo post peccatum, & ipsi in voluptate dies transigunt & bibunt, concedunt cum iucunditate. Palæstinæ Rex docet hominem, quid age-

agere debeat de bestijs loquitur: *Ortus est sol, & congregati*
Psal. 103 *sunt, & in cubilibus suis collocabuntur* (animalia videlicet) *at exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* Quæ operatio? Labor, vigiliæ, oratio, mortificatio, ignota hæc apud eos, qui voluptati vacant. Epicurū putant aliqui fuisseinuentorem voluptatum, vnde vita talis, Epicurea vocatur, ille enim finem belluinum sibi statuit, vt felicitatem in eo poneret, si inertes haberent molles lectulos, si delicati neque æstu, neq; frigore affligerentur, si libidinosi pulchras fœminas, ebrij generosa vina, & lurcones suaues epulas haberent, inde cor-

ruptio

ruptio aliorum secuta est: *Facilior enim virtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad virtutem transitus.* Videtur amabilis Voluptas, sed fallit, nam nō à DEO sed à Diabolo commendatur. Bene Nicetas dicebat: *Omnis voluptas, quæ nec ex Deo nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est:* Latent enim sub specie pulchra, sordes, spurcicies, deformitas, virus, damna, mors: De pomis Sodomiticis hęc habet Solinus, præseferre quidem illa speciem maturitatis, cæterum speciosæ cutis ambitione, fauillaceam intrinsecùs fuliginem abscondi, quæ vel leui pressa tactu fumū exhalat, vt fatiscat in vagum puluerem, nihil certè à voluptate

ptate ſperandum maius; et tamen Regnum voluptatū quaſi impij ſibi conſtituunt, & ſubdūt ſeipſos, Regnum certè, nam coronari deſiderant: *Coronemus* (inquit) *nos roſis*, addunt,
Sap. 2
antequam marceſcant, eo ipſo breuitatem fatentur, immò etiā vtendo voluptatibus conſumūtur, hinc apparet varias res & adulterinas eſſe: Chriſtus Dominus in mundum veniens ap-
Ioan. 14. pellauit ſe *Viam, Veritatem, & Vitam*. Primò Viam, quam ergo ſecutus? Non planam & roſis plenam, nam appoſitè indicat his verbis ille: *Coronaris deuota ſacrificio victima, At quia vanitas hominum, omni iam roſas legit ex horto, ſolæ tibi ſpinæ ſuperſunt*. Non inuenit

nit Saluator rosas pro se aptas, itaque Regnum diuersum fundauit, Regnum laboris, patientiæ, doloris; qualis ergo Corona? descripsit idem: *In Regno patientiæ non aliud coronat quàm quod cruciat.* Aspicite ergo voluptarij Coronatũ Spinis Dominum, & pretium sanguinis vili æstimate, vt facitis? secundùm Ambros: *Si vobis ex vestra fragilitate vixistis ex pretio vestro vos appendite.* Et idem: *Qui dat pro modica delectatione illud, pro quo Christus se tradidit, Christum reputat stultum mercatorem.* Et adstipulatur Tertull: Hominem depretiat & mercedẽ eius tam magno comparatam pretiosissimo videlicet sanguine, commacu-

maculat. Pro voluptate certè & vana quidem, animæ propriæ & sanguinis Christi pretium dare, quàm res est impudens. Prorsus cum S. Gregor. attendendum & approbandum: *Humana fragilitas Vnigeniti sanguinem consideret, & in pretio suo cognoscat, quàm magna est quæ tanti valet.* Ruminandum omninò, nimirum nõ posse nos, voluptati & hîc & in altera indulgere vita. Aduertit Dauid: *Euntes ibant & flebãt*
Psal. 124. *mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Delicati rosas seminant cum lætitia, sed citò illæ vertentur, (quia marcuerunt) in manipulos spinarum Diaboli. Patien-
tes

tes verò ſeminant ſpinas, & vt creſcant, ſanguine Chriſti, & ſuâ adiunctâ mortificatione rigant, non deficient potiùs in immarceſcibiles roſas & manipulos odorum tranſplantabuntur Dei potentiâ. Non deſperate tamen Voluptarij: Chriſtus enim duris laborum Spinis compunctos & cruentatos ad Coronam Spineam vocat, vt refecti, veris voluptatibus frui poſſitis, dicatiſq; vnuſquiſque veſtrum cum Rege pœnitente: *Conuerſus ſum* peccator *in ærumna mea, dū configitur ſpina.*

CAPVT LXVI.
De Peccato Diſcordiæ Coniugalis.

NOn abſque conſideratione quidam Coniugij ſimilitudinem

dinem expressit, asserens in matrimonio deberi copulari vocalem cum Consonante, E. est vocalis, sit ergo maritus. T. Consonans, sit ergo Vxor, summus erit ibi consensus, si verò vel uterq́; vocalis vel Consonans discordiam sequi necesse erit: Iob & Tobias experti sunt vocales Vxores, quod maximi tormenti locò ab illis habitum. In Paradiso Eua quia fortè ab E. nomen ordiebatur fuit vocalis cum Marito; nam voce persuasit peccatum; Diabolo fuit Consonans. consentiendo tentationi. Adam fuit consentiens vxori, & acquieuit peccato: Deo verò vocalis cùm voce refragaretur bonitati diuinæ, & in sociam immò quasi in ipsum Creatorem retorqueret, qui dederat vxorem, dèlicti causam,

Cauen-

Cauendum tamen ne mariti nimium sint vocales, cùm verberibus consonantem vxorem clamare cogunt, nam Deus creauit Euam non ex Capite Adami, ne regeret, non ex pedibus, ne contemptui subiaceret, Ex latere prope cor, vt socia cordialis mariti esset, & adiuuaret solareturque maritum, vicissim si qui sunt næui suauiter dissimulantes: Concordiam Christus Dominus maritalem commendauit, dicens. *Quod Deus coniunxit homo non separet,* Matth. 19 Et se ipsum adinstar matrimonij cum Ecclesia coniunxit, ita vt sacramentum matrimonij appellarit. S. Paulus, & Ecclesiam sine ruga, sine macula perfectam vocat, Rom. 12 vnde ergo discordiæ &, diuortia in statu Coniugali? Ab illo qui diuortium fecit

cit in Paradiſo, inter Deum & Parentes Noſtros, & adhuc per Inſtrumenta vitiorum operatur vel per ebrietatem vbi ratio perit, vel per auſteritatem naturæ, quæ affabilitatem diſſipat, vel propter differentiam incli-
Sil. cap. 1 nationis quæ cerebra diſiungit; Syluius diuortij Quatuor cauſas ponit, nempe adulterium, hæreſim vel Apoſtaſiam, inductionem ad peccatum, & ſæuitiam: etiam idem author dicit, in duobus caſibus teneri maritum, ſub peccato mortali facere diuortium cum vxore adultera. Primò. Quando per diuortium ſperat emendationem & fructum, videlicet ne maiora incommoda ſequantur puta rixas, cædes inter ipſum & parentes vel fratres vxoris. Secundò tenetur facere diuortium maritus

tus

tus quando imminet ſcandalum, vt ſi ipſe exiſtimetur conſcius & fautor delicti. Sicut ergo concordia coniugij Deo placet, ſic diſcordia diſplicet, quod fit dum vxores alijs placere ſtudent magis quàm maritis, dum in ducenda vxore, mariti vel diuitias ſolas, vel pulchritudinē, nimium tantùm æſtimant: at illæ nuptiæ ſunt laudandæ vbi Chriſtus cum MARIA inuitatur, honor Dei & procreatio pignoris ſpectatur, certè aqua in Vinum conuertetur, id eſt etiam in paupertate diuitiæ enaſcentur, benedictio enim Domini diuites facit. Inde, adhuc in exordio mundi multi perfectæ virtutis, vitam in coniugio coluerunt; optimè S. Chriſoſt: *Audiant viri & mulieres & diſcant iuſti virtutem,* Hom. 21 in Geneſ.

nec putent nuptias in cau, a esse, quominus quis Deo placeat, ne quis arbitretur obstaculum virtutis esse, Summa fuit in duobus nominatis Iob & Tobia perfectio, cùm nec vxorum malitiâ, à simpliciatis, deterrerentur virtute; sic faciendũ, si bona vxor, Deo gratiæ habendæ, si mala, patientia aduocanda, IESVS etiam cum Spinea Corona coniunctus tali præcelluit virtute, vox enim non audita cùm admiratione etiam Præsidis, consonabat in tormentis Iudæorum, non repugnando. Conjuges si Spinas Christi cordi vestro applicabitis, concordiâ florebitis.

CAPVT LXVII.

De Peccato Duelli.

Ex causis supra nominatis, vt fæminarum amori etiam maritatarũ satisfaciant aliqui in voluptatibus ac conuiuijs positi, vbi non desunt verba immò etiam ad verbera progrediuntur, & sæpiùs vel ibi statim mutuò se sauciant, vel in duellum prouocant alter alterum: Honesta quidem res apparet, verùm inuentio Diabolica, dum secundos & tertios nominant, beneuolentiæ causa quasi, & sic innocentes corruunt in mortem simul, quos amicitia ante stricta coniunxerat: Quod magis si quis detrectet duellũ, pro timido & tuendi honoris ignaro reputant. Canones autem sacri prohibent duella, non tantùm inter

illos qui exequuntur, verùm adstantes anathemate percuti imperant, cùm belluarum more ita concurrunt armis, vt potiùs vitam adimere alterius meditentur, quã suam illæsam conseruare, hinc fit vt sæpiùs ambo pereant vtraque morte, sic autem definitur. *Duellum est bellum seu pugna singularis deliberata ab vtraque parte, sponte & ex condicto suscepta, statuto loco & tempore, cum periculo occisionis, mutilationis ac vulneris*, vnde in Iure *Monomachia vocatur* id est pugna vnius contra alterum, Ex hac definitione duelli benè perpensa, duellum non est res ludicra quæ dicitur scrima ludus, hastiludium, at vera pugna intendens

Greg. 12. c. 23. 11.

dens alterius interitum. Aliquando tamen concedit Ecclesia duella, Primò vel ad sedandos duos exercitus contrarios, licitum est pugnam duorum periculo dirimere per duellum, vti S. Venceslao contigit cũ Radislao, ille enim parcens sanguini suorum, prodigus vero sui, duellum obtulit, Sanctus ensiculo breui succinctus, sed bene loricâ Cilicio ac Cruce armatus. Alter adest totus ferreus hastaq; ingenti & Machærâ timendus, verùm Angelus diremit congressum, porrigens hastam Venceslao, aduersario autem inclamans, *Ne feri*, Secundò, si compellatur sub vitæ periculò duellum acceptare, quilibet enim potest consulere vitæ propriæ, etiam cum morte inuasoris, vti de S. Austregisilo legitur Ex Surio

tur

tur. Betellinus quidam repetundarum postulatus Austregisili nomen apud Regem Galliæ Guntramum detulit, calumnia tam speciosa, vt duello purganda fuerit, sed ad id diuersis se luctatores studijs præparabant, hic Sanctus placare precibus numen, argentum omne in egenos effundere, suis se virtutibus magis quàm armis inuoluere. Calumniator generosissimo cõfisus equo, dum diuina vi obtorpescentem fodit calcaribus ab eodem efferato effusus animam exhalauit: Prohibitio duellorum ad quatuor capita in Bullis Põtificijs reuocari potest, Primum, est pugnantium, in duello prouocantium, vel acceptantium; secundum, concedentium locum, aut non impedientium, si sint Domini qui pos-

Ex surio

possunt id impedire, Tertium, aliquomodo cooperantium ad duellum, mandato, consilio, auxilio, fauore, chartulis, intimatione, publicatione, Quartum est spectantium ex industria, qui ex condicto se offerunt certaminis spectatores & testes, vt ergo tolleret Christus duella, suo cum Diabolo congressu, & noxam deleuit & sic paritalia prohibuit, Innuit in Paschate Prosa, *Mors & vita duello conflixere mirando*, & vt fit in duello vt similibus certent armis, hoc Saluator executus, Cruce & Spinis flagellisque Dæmon induxit duellum, eisdem armis oppressus fuit, quæ elegerat: flagella æternæ mortis duello Domini amota ab electis, crux fugat etiam iam cerberum, Spinæ in Capite

te Redemptoris tanquam vtrinque acutæ Capite Domini perforato cuſpides ab extra relictæ fodiunt, & nunquam ceſſabunt Diabolum præmere. Extra dubium victoria duelli adſcribetur ſemper Spineæ Chriſti Coronæ.

CAPVT LXVIII.
De Peccato Irreuerentiæ in Templo.

AD audientiam ſiue priuatam ſiue publicam apud Reges & Monarchas habendam, multa quiſquis eſt, indiget præparatione & attentione; Iam ad Regem Regum Deum ſine vlla accedunt mortales reuerentia, ac ſi domum ſimplicem ingrederentur, magis ad confabulandum, ad tractanda negotia, immò quod deteſtandum, ad explendam oculorum libidinẽ con-

conueniunt, & ex Domo Dei. Lupanaria ſibi conſtituunt, imitanturq; Iudam & Lictores, qui ad capiendum in hortum Christum venerunt, nam vti in templis adeſt Deus, & tacitè dicit, *Ego ſum*, ita in horto idem verbum protulit, illi tamen ſtatim abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram omnes, poſtea comprehenderunt IESVM. Sic Politici veniunt in templũ, pectora tundunt, capite pulſant terram, & faciem manu percutiunt, poſtea verò peccatis ligant Dominum, hinc in perſona Dauidis Chriſtus dicit: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Pſal. 11. verè in Paſſione à noſtris ſceleribus fuit conſtrictus. Et fortè id Saluator declarare voluit, cùm in templo ementes Ioann. 2. & vendentes flagello verbera-bat

bat excessiuos, partim vt innue-ret se quoque verberandum flagellis, partim vt ostenderet imperium, cùm flagellum debeatur, patri in filium, magistro in discipulum, domino in seruum; partim vt zelum circa domum suam honorandam demonstraret, cùm enim mitissimus esset, tamen profanationem templi sustinere non valens, flagellum fecit ex funiculis & mensas subuertit, & quasi immodestè & furiosè (si sic loqui licet) rem egit, zelo Patris commotus, nam licèt omne peccatum sit Deo odibile, sed ea odiosa præcipuè quæ in templis fiunt, quia cùm in eis singulari ratione Deus inhabitet, coram oculis eius in eum peccare grauissimũ piaculum est, propterea ipsemet Christus verberabat ob sce-

lus

lus immensum, & eijciebat è templo. Solent quidem Reges & Iudices malefactores punire, verùm nõ suis manibus, sed lictorum. Ita enim Dominus Angelorum bonorum vel malorum operâ flagellat & punit homines. Si verò videres aliquando ipsum Regem supplicio aliquem afficere, cogitares quale delictum ille commisit? Sic Deum solum nouimus templi violatores manibus suis flagellasse, quò ostendit maximè offendi irreuerentiâ templi, de hoc zelo prophetauit fortè Amos. *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit, percute cardinem, & commoueantur superliminaria, auaritia enim in capite omnium, & nouissimum eorum in gladio interficiam,* Amos c. 9.

ciam,

ctam, non erit fuga eis qui fugerint. Manifestè testatur auaritiam fuisse in templo vendentium columbos, & nummulatios propter lucrum, inde percipientes, quod de auaritia dictum, comparari potest & alijs peccatis. Quæ in templis committuntur. Legitur in vita S. Brunonis, qui fuit Aucupis Henrici Imperatoris filius, Otthonis Imper: frater. Hic cùm Henricum fratrem, & affinem Cunonem sub Diuinis confabulantes vidisset, palàm edixit intempestiuam illam familiaritatem, seminarium fore maximarũ inimicitiarum, id quod postea Orbis vidit. O Censorem debitum nostro æuo! quo Templa passim, aut fora fieri, aut curias videmus, & ex his exire sæpè qui plurima hominibus, nihil

Ex surio

Deo,

Deo, nihil Diuis sunt locuti: multi verò sunt, qui raò templa intrant; Miserum sanè est, videre plures in plateis, ludis, & alijs in locis, templa verò deserta. O homo, Deumne solum relinquis? Pauca tibi negotia sunt quæ cum eo tractes, quòd ad eius domum non venis, amicus amicum adit frequenter, & tuus quis maior quàm Saluator, & visitare eum negligis? Veni ò piger, & considera in templis omnibus esse Crucifixũ cum Spinea Corona, quid hoc sibi vult? nisi vt ingressus Domum Dei, charitas occurrat menti, quâ accensus Christus Cruci affixus est; at simul adfuit Spinea Corona, Spinis ergo Compassionis, Spinis doloris caput tuum, id est intellectũ pungas, considerando tua peccata,

cata, & crucifige concupiſcentias tuas ſpinis additis mortificationis, dicens cum Pſalte Regio: *In meditatione mea exardeſcet ignis* reciproci amoris erga Deum.

CAPVT LXIX.

De Peccato Silentij in Confeſſione.

VT Deus placaretur in offenſa graui hominum, medium aduenit ſibi difficile, nobis facillimum. Pro alienis delictis atrocem mortem & ſpineam Coronam ſuſtinuit, pro noſtris Confeſſionem coram Sacerdote tantùm nobis reliquit, quo pæna tollatur æterna. Si Rex vel Iudex læſæ Maieſtatis crimen remmitteret, ſi ipſemet Reus fateretur, puto etiam in foro proclamari permitteret no-

nocens noxas suas, & ipse palàm ediceret. Quodlibet peccatum in Deum est crimen læsæ Maiestatis, & non publicè tamen sed priuatim ad aurem vni homini enarrare Catalogum scelerum jubet Deus, & nos tam ingrati tam pertinaces sumus, vt malimus & in odio manere Dei, & culpam infinitam ac similem pænam sustinere? O cæcitas humana; si ex vna parte ignis materialis poneretur, ex altera confessio, existimo quemlibet eligere velle confessionem, quia verò Infernalem rogum non videmus, ad illum ommissa confessione properamus: verè homo homini Deus Saluator, & quia homo factus, & quia ab æterno Deus ideò tam facilè remedium salutis proposuit, Quis ergo à tanto bene-

ficio consequendo deterrebitur? Pudore fortè quem malitia Dæmonis proponit, nam ad confessionem faciendam pudor obex est, vti à multis hæreticis audiui esse rem insupportabilem, Dæmon ergo dum peccat aufert pudorem, dum vult confiteri homo, statim verecundiam præ oculis ponit, vti narratur de vno ex SS. Patribus, cui Deus mentis oculos præ aliis dedit perspicaciores, hic vidit
Cassio. c. 11. Diabolum obambulantem sedulò confessariorũ sedilia, cumque ex eo quæsiuisset, quid rerum ageret? quid moliretur, huc illuc importuna cursitatione? Respõdit, ego pænitentibus reddo quod accepi, adiecitque *Peccantibus pudorem abstuli, hunc pænitẽtibus restituo* Æquâ lance expẽdit S. Chrysost: dicẽs:
Q te

O te miserum! cùm effectus es peccator non erubescis, quando iustus efficeris, primùm pudet? Et in alio loco idem. *Cùm nosset Sathanas, quia peccatum verecundiam habet, pœnitentia fiduciam, ordinem reprobus permutauit, & inuertit, deditq́ verecundiam pœnitentiæ, fiduciam verò peccato.* Medicina est Confessio, sanat omnem languorem, & si indigestum quid conscientia deuorarit, digerit. Hinc Origen: in Psal: 37 ait: *Sicut hi qui in stomacho indigestam escam habent, aut venenum grauiter torquens, si vomuerint releuantur, ita illi qui peccauerunt si occultãt & retinent intra se peccatum,*

intrinſecus vrgentur & quaſi ſuffocantur ab humore peccati, ſi autem ſe accuſantes confiteantur, euomunt delicta. De quodã Energumeno narratur, is horrendum in modum vexatus fuerat à tribus infeſtis ſpiritibus, qui multis adacti nomen ſuum confeſſi ſunt, ac primus vocabatur, *Claudens cor*, ne verbum Dei, quod per aures illabitur in cor deſcendat; Alter, *Claudens burſam*, ne quid in pauperes erogaretur; Tertius, *Claudens os*, nam nulla ſpes peccatori ſupererit, ſi exonerare ſe peccatis neglexerit: ſilentium eſt clauus quo Dæmon vtitur ad obſtruenda ora peccantium, habet hoc pudor vt viros etiam infantes reddat, quot elo-

quentes Oratores pudor subitò elingues fecit? Dauid non habuit pudorē dum Bethsabee violasset, dum Vriam interfici curâsset, verùm postquam rediјt ad se consideratâ grauitate offensæ Dei, confitetur Domino, clamans: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* At habuitnè pudorę? ita est, fatetur ipse. *Totâ die verecundia mea contra me est, & confusio faciei còóperuit me.* Saluator verò noster, vt pudori satisfaceret, & flagellari, & coronari se permisit Spinis. In Capite Christi & intùs erant & extra. Si peccator habes intùs peccati spinam, abextra etiam eandem habeto, scilicet coram Confessario depone quod te premit, non te lædet nisi intrinseca spi-

Psal. 110.

Psal: 34.

ńa, extra poſita per reuelationem Sacerdoti, non cruciabit ſed ſaluabit.

CAPVT LXX.
De Peccato Malæ imprecationis.

NAtura corrupta poſt peccatum loco benedictionis, maledictionem protulit mundo, adeoque habitum homines contraxerunt, vt ad minimum diſguſtum, vel ſibi vel alijs peſſima imprecentur, diriſq; filij parentes & viciſſim amici, & inimici ſe deuoueant; vt verò meliùs ſciamus, oportet defini-

S.Thom: 2.2. qu. 36. tionem illius cognoſcere. *Maledictio est imprecatio, ſeu exoptatio mali alicui facta ſub ratione mali*, Hoc eſt intendendo malum ipſum. Duplex au-

autem est Maledictio, *Formalis*, & *Materialis*. Formalis maledictio, quâ quis imprecando vel imperando vult alicui malum euenire, vt malum est; Materialis est, quâ quis imprecando vel imperãdo alicui euenire cogitat malum, sub ratione boni, iusti, ac vtilis; aut quâ quis malum alicui optare videtur, sine intentione tamen & desiderio mali, quod ore profitetur. Procedit verò aliquando imprecatio, vel ex odio interiori & indirectè charitati repugnat, & talis maledictio ad diuersas peccati species procedit; Si enim imprecatur mortem, est homicida; si incendium domus optat vel bonorum, est Incendiarius; si bonorum ablationem desiderat, est fur. Ex vindicta etiam est imprecatio,
desi-

desiderando, vt illa statim sequantur, quæ promit ab ore. Ex terrore imprecatio est, vt deterreat aliũ ab aliquo opere. Ex consuetudine, videlicet, dum sine vlla causa (vtuntur tamen plurimi varijs maledictis) Diaboli nomen inuocando, fit etiam in multis partibus, vt Dæmonum numerum, qui nec in Inferno est exaggerant, per myriades & atomos: In certis Prouincijs fulmine maledicunt, & contingit aliquando (Deo permittente) vt sæpiùs intereant cœlestibus sagittis, morbum caducum imprecantur, indignè S. Valentini nomine abutendo, verùm cùm Parentes filijs maledicunt, grauissimum est peccatum, nam sæpiùs re ipsa id sequitur. Loco exempli apponam quod scribit Surius in vita

S. Ze-

S. Zenobij Episcopi. Fratres gemini è flore nobilitatis Parentum indulgentiâ corrupti, in proteruiam occalluerant, ad seria Matris imperia, non atrocia tantùm dicta sed calces etiam ingerere bene monenti ausi, quâ impietate exasperata, vltra maternum morem mulier dirâ imprecatione furias in filiorum caput incitauit; Valuêre vota; Degeneres illi extemplò Inferni obsideri laruis, & impias manus à Matre in sese vertere, laniare ora, & canino invicem grassari duello; Fæditas spectaculi Parentis iram in misericordiam mutauit, lamentantis tantum precibus fuisse pōdus; nulla erat, nisi in S. Zenobij pietate spes, qui horas duas affusus Cruci, furentes absoluit. Idem beneficium cœlo receptus in ægrū Surius

repe-

repetiuit. Mater quædam nocturnis eius obſaturata querelis, potum identidem flagellanti, Dæmonem ſimili voto propinauit, at Zenobius pepulit: Vtinam & fædum abigeret morem, vocantium tam immunes hoſpites, quaſi non inuocati in nos non irruerent? Summum ſcelus, quo & Deus noſter, & proximus offenditur, dum & alijs & ſibi maledicunt. Dicet aliquis, ergo & Iob & Hieremias peccarunt, maledicentes
Iob 3. diei quo nati ſunt. *Pereat dies in qua natus ſum*, Iob dixit; & tamen Deus eum abſoluit; Ille enim peccato mala imprecatus eſt ex zelo offenſæ Dei, ſic & Hieremias: Talis ſola Imprecatio non reprobata, immò accepta cœlo. Chriſtus Dominus factus eſt pro nobis male-

ledictum, omnes illi mala imprecabantur, *Tolle, Tolle, Crucifige*, malefactorem appellabãt, in ipſa Cruce ſub onere Spineæ Coronæ inſultabant, *Vah qui deſtruis templum Dei*, & poſt mortem ſeductoris nomen impoſuerunt; Saluator verò orabat: *Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt*: Neſcio an verba ſcandaloſa, an Crux & Spinæ magis affecerunt cor Redemptoris. Vos ergo maledici Spinam vel vnam imponite cerebro per Contemplationem, certè abſtinebitis ab imprecatione, potiùs benedictionem per meritum Paſſionis Chriſti, & dolorem Spinarum obtinebitis.

Ioan. 19.

Matth: 27.

Luc: 23.

CAPVT LXXI.

De Peccato Traditionis seipsum Dæmoni.

NEmo dubitat creaturam subijci debere Creatori, ideò enim est creata, quale ergo facinus, non tantùm non obedire & potestati se subtrahere Dei; Verùm ipsius inimico Diabolo, Corpus formatum Dei manibus tradere, Animam infusam â Creatore, prostituere Satanæ? Dixerat Saluator
Ioan: 12. *Iam princeps huius mundi eijcietur foras* & Passione & morte eius; & non tantùm non eiectus, sed & alligatus est: quomodo ergo homo accedit, tanquam ad canem, catenâ circumdatum, & non tantùm accedit, verùm seipsum concedit, potestati illius, Christus

ſtus enim vt verus Dominus
Creaturæ, poſt peccata atrocia, cùm videret abſolutè dominantem Cerberum, Cruce eripuit ab illius dominio libertati reſtituendo, & è captiuitate educendo illa qua Dæmon Dominus & Homo ſeruus fuerat, cui Captiuitati, nulla alia comparari poteſt, nec illa quæ apud Turcas & barbaros eſt, in hac enim manus & pedes ligantur, in illa intellectus & voluntas, quæ animæ vires ſunt. Quid cor impii eſt, niſi Infernus, quo malè torquetur à Dæmone? Hinc Rex Dauid rogabat. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*; Quibus verbis innuit alium eſſe Infernum ſuperiorem in corde impij, inferiori valde ſimilem. Hinc aſtutia conſideranda Diaboli, Pſal: 85.

boli, quali arte ipse occupet dominium alienum, id est Dei in homines, optimè Hier: agnouit, cuius verba sunt. *Perdix fouit quæ non peperit, fecit diuitias, & non in Iudicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouißimo suo erit insipiens.* In quæ verba S. Hieron: ait, asserere eos qui de natura scripsere, quasdã esse perdices steriles, quæ cum propria oua non habeant aliena furantur, & eis incubant, sed cùm fætus adoleuerint & audierint vocem Matris propriæ quæ oua genuit, derelinquit alienam matrem, quæ potiùs nutrix quã Mater est, & parentem sequitur. Id verò cùm Dæmone agendum Propheta denunciat, ste-

Hier: 17.

Hier: in Hor: c. 7. Ambros: 15. Hex: c. 3.

ſterilis ille quidem eſt, hominem non genuit, ſed furatus oua fuerat, cùm in lege Naturæ & ſcripta, homines imperfectos quaſi oua rapuit dicente ipſo: *Inuenit quaſi nidum manus mea, & ſicut colliguntur oua quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui.* Esai. 10
Procreauerat homines ſibi in filios, cùm tamen Dei eſſent; Venit ergo Chriſtus & clamabat, *Si quis ſitit veniat ad me* Ioan: 7.
Et In Cruce: *Sitio*, Statim plurimi vocem veri parentis ſecuti ſunt, vti ipſe teſtatur: *Vocem meam audient.* Alij Ioan: 10.
verò libertate donati, iterum Dæmoni ſe tanquam in mancipia tradunt, hoc fit quod non ſe oſtendat illis in ſua ſpecie de-

deformi, at per voluptates & corpora pulchra, & per cupiditatem auri ſubiugat illos. Si enim viderent turpitudinem Diaboli, quomodo ad illum accederent, veluti de S. Stephano Epiſcopo Lugdunenſi ſcribitur. Hic cùm grauiter in omnia vitia concionando dixiſſet, atque aures auditorum necquidquam diu pulſaſſet, tandem malo Dæmoni qui ad tales nugas impellere animas adſolet, pro Concione imperauit, poſitâ laruâ ſeſe palam oſtenderet: enimverò paruit, tam horribilis, vt iam Magiſtri ſui puderet diſcipulos, facilèque cum illo tentationes eius damnarunt, Inuenit quod dolendum etiam hodie diſcipulos peſſimus Doctor & ad orcum ne ſerò pereant, non iam eunt

Ex Sur:

im-

immò currunt, saltant, deludit ergo artificiosè, dicens, da mihi hodiernum diem, Crastinum Deo dabis, idem cras dicet, & sic detinet, vt tempus labatur & omnino Homo intereat: verùm illud grauissimum, quod alij subscribunt sanguine, seipsum & animam perpetuò Dæmoni donando, & licet tale peccatum irremissibile sit, tamen Passio Christi multis veniam impetrauit. Quid ergo talibus faciendum? Dominus se dicit filium Dauid, sicut Dauid Cytharâ suâ Dæmonem pellebat Saul vexantem, sic iam Cruce & Spineâ Coronâ propulsat Dæmonis potentiam. Accipite mancipia Diaboli lyram hanc, audite Christum personantem, videte pro vobis Crucifixum, Spineâ Coronâ confixum, ibi

chor-

chordæ tensæ & extensæ valdè, ibi nerui distenti, ossa è suis locis diuulsa, Dæmon aufugiet à sonitu huius harmoniæ, & spinarum aculeos verebitur, vos verò ad dominium veri Domini poteritis reuerti, vt in Theophilo prototypon exponitur omnibus.

CAPVT LXXII.
De Peccato Athesimi.

IN summo gradu peccati est qui nihil credit, non potest esse Creatura magis execranda, nam non tantùm beneficia Dei collata negat, sed ipsi non esse adscribit, qui omnibus dat esse, & illi ipsi ingratissimo: finem Creationis ignorat, quia Creationem tollit, pretium Redemptionis etiam contemnit, quia Passum Deum non

cre-

credit, Iustificationis gratiam irridet, quia more bestiæ viuit, Glorificationis gloriam non curat, quia vitæ & animæ terminum in mundo figit, ac immortalitatem non capit. Bellua non homo immò stultior talis homo appellandus est Asina Baal vidit Angelum gladio arcentem iter. Agnellus S. Francisci flectebat genua in templo. Asinus ex mandato S. Antonij de Padua reuerentiam exhibuit SS. Sacramento curuato genu. Bos & Asinus Deum incarnatum agnouerunt, & homo inuenitur qui nihil horum sciat? Dæmonibus notus est Deus, vt dicitur. *Dæmones credunt & contremiscunt*, Ergo Atheus peior est Diabolo adhuc? sic enim Dauid præsensit, & ait. S. August.

Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, In corde, quia & dicit & asseuerat, & cor ipsum talis error occupauit verùm vt confundantur tales, ipsa natura fatetur Deum esse, Cadit in terram puer & cõtinuò dicitur. *Heu Deus meus*, Barbari, Turcæ non negant Deum esse, sigillata est notitia hæc in cordibus, & impressa à natura: Quis dicit acui nauticæ vbi est Helice, astrum boreale, quæ non quiescit donec eo se dirrigat; ille ergo omnium cordibus dixit Deus est, non potest homo viuere absqueDeo & eius agnitione, imperfectio enim & participatio essendi, quæ in creaturis est, ostendit fontem esse indefficientem essendi à quo promanat; inde Augustinus.

Facilie

Facilius dubitarem viuere me, quam viuere veritatem illam æternam, cuius sempiterna virtus, & diuinitas in suis operibus dignoscitur. Illi ergo miseri qui negant Deum, putant esse hanc machinã cæli & terræ casu factam, stultitiam illorũ Ethnicus Orator cõfudit. *Agente te viam per desertum aliquod, offendis forsitan aulam Regiam, mire compositam atq; ornatam quasi domũ Regis, interrogas quo pacto tanta ibi constructa sit domus, diciturq; tibi, casu mons quidam decidit, & ex eius ruina hæc tanta domus fabricata est, irrideres eum qui hoc tibi per-*

Rom. 1

Cic. lib. 2. Natura Deorum,

ſuaderet. Mirabile enim hoc Opificium, opificis artẽ oſtendit, hinc Pſalmiſta *Cæli enarrant gloriam Dei*, at linguâ carent? abſque lingua loquuntur, quia oſtendunt palam Deum, ſi corpus inſpicerent Athei, ex eius ordine & artificio Deum eſſe colligerent; Galenus Paganus agnouit, qui inſpecto corpore humano in partes inciſo, eius miro ordine cõſiderato, dixit. *Honorent alij Deum ſuis Hecatombus* (quod erat ſacrificium centum boûm) *ego eum honorabo agnoſcens eius infinitam potentiam, ſapientiam, & bonitatem, quæ tam large ſe effudit.* Etiam ex aduerſis & proſperis cognoſcitur Deus, Dauid clamat *Deus*

Pſal. 18.

Gal. de vſurp. Lactant. lib. de opific. Dei.

Pſal. 30.

in manibus tuis sortes meæ, & per Isaiam Deus grauem minatur morbum, quo agnoscant omnes Deum esse. *In tribulatione murmuris doctrina tua eis*, vt ergo se esse Deus ostenderet, venit in specie hominis in mundum, & visa tanta abominatione & ignorantiâ crassâ, quam & sanctus Paulus legit in Areopago. Vbi scriptum erat *Ignoto Deo*, effudit sanguinem proprium, vt tali pharmaco aperirentur oculi interni peruersorum hominum. Nihil certè sæpiùs in Euangelio habetur, quàm de Dei notitia. Vt verò profectior doctrina esset, explicauit Christus, Deum vnum esse & tres personas in Trinitate; Omnia itaque peccata sustulit, Cruce, morte, & vt

Isai. 26.

ma-

magis illi crederetur, Regium Diadema Coronam Spineam imposuit Capiti, quatenus illæ omnes Spinas delictorum & errorum tollerent, & compensarent. Nos malefactores sumus & in Christum sententia profertur. Furatus est Adam pomum & vapulat Christus, lingua nostra dilexit iniquitatem, & Christi lingua felle & aceto potatur, Caput nostrum superbiâ elatum est, & Caput Christi Spinis coronatur, sed ideò vt vincat. Dicat terra, echo resonet in cælo, Victoria Christi Spineæ Coronæ contra omnia peccata triumphat, triumphabitque in æuum.

FIAT FIAT.

AMEN.

500 —